Siefert, De aliquot
Plutarchi scriptorum moralium
compositione atque indole.

DE ALIQVOT PLVTARCHI SCRIPTORVM MORALIVM COMPOSITIONE ATQVE INDOLE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GEORGIVS SIEFERT


VIMARIENSIS



LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCVI



Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Hirzel.

Jena, den 26. Juli 1895. Dr. L. Knorr,
d. Z. Decan.

Numeri sunt commentationum philol. Ien. vol. VI

PARENTIBVS · OPTVMIS

S

E ALIQVOT PLVTARCHI SCRIPTORVM
RALIVM COMPOSITIONE ATQVE INDOLE

SCRIPSIT

GEORGIVS SIEFERT


A media fere huius saeculi parte, postquam Heeren, Haug, alii viam praemuniverunt, homines docti, Arnoldo Schäfer maxime et Curtio Wachsmuth ducibus, mirum quantum sudarunt in auctoribus quos Plutarchus in vitis suis expresserit investigandis, ea progredientes ratione, uti omnia fere quae ex hisce Chaeronensis operibus lucramur partim ad unum partim ad duos fontes rettulerint.

Qua in re palmae prae ceteris appropinquarunt Peter, Ruehl, Hermannus Sauppe, venerabilis ille philologorum princeps quem ante duos annos morte nobis ereptum esse cuicumque eius scholis interesse licebat adhuc luget.

At quamquam ingens paulatim talium quaestiuncularum moles congesta est, tamen hodie omnes paene qui Plutarchi scriptis operam dant hac de via decesserunt, cum intellexerint minime illos 'φρεωρύχους', ut voce utar Plutarchea, inter se convenire et sibi persuaserint tantum abesse, ut amabilis hic scriptor Boeoticus historicorum more veterum auctorum voluminibus accurate adhibitis et perpensis virorum illustrium facta enarrarit aut 'ὑπομνήματα ἱστορικά' undique collegerit, ut eius vitae et ipsae pars sint φιλοσοφίας ἠθικῆς nec ullo modo secerni possint a scriptis moralibus, cum Plut. enucleate fateatur voluisse sese specimina edere vitae bene instituendae et hanc tantum ob causam 'τῆς τῶν βίων ἅψασθαι γραφῆς .. ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἁμῶς γέ πως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων (sc. hominum praeclarorum) ἀρετὰς τὸν βίον'.[1])

Quae cum ita sint, haud multum valere Plutarcho videbantur insignium virorum res gestae quibus domi bellique ceteros superabant quasque rerum scriptores summi faciunt; contra admodum eius intererat illorum mores quam dilucidissime describere, uti alii homines eos possent imitari. Minime nimirum contendo Chaeronensem magnos illos historicos ab Herodoto usque ad Polybium

1) cf. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte p. 219 sqq.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

DE ALIQVOT PLVTARCHI SCRIPTORVM MORALIVM COMPOSITIONE ATQVE INDOLE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GEORGIVS SIEFERT

VIMARIENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCVI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Hirzel.

Jena, den 26. Juli 1895. Dr. L. Knorr,
d. Z. Decan.

Numeri sunt commentationum philol. Ien. vol. VI

PARENTIBVS · OPTVMIS

S

DE ALIQVOT PLVTARCHI SCRIPTORVM MORALIVM COMPOSITIONE ATQVE INDOLE

SCRIPSIT

GEORGIVS SIEFERT

A media fere huius saeculi parte, postquam Heeren, Haug, alii viam praemuniverunt, homines docti, Arnoldo Schäfer maxime et Curtio Wachsmuth ducibus, mirum quantum sudarunt in auctoribus quos Plutarchus in vitis suis expresserit investigandis, ea progredientes ratione, uti omnia fere quae ex hisce Chaeronensis operibus lucramur partim ad unum partim ad duos fontes rettulerint.

Qua in re palmae prae ceteris appropinquarunt Peter, Ruehl, Hermannus Sauppe, venerabilis ille philologorum princeps quem ante duos annos morte nobis ereptum esse cuicumque eius scholis interesse licebat adhuc luget.

At quamquam ingens paulatim talium quaestiuncularum moles congesta est, tamen hodie omnes paene qui Plutarchi scriptis operam dant hac de via decesserunt, cum intellexerint minime illos 'φρεωρύχους', ut voce utar Plutarchea, inter se convenire et sibi persuaserint tantum abesse, ut amabilis hic scriptor Boeoticus historicorum more veterum auctorum voluminibus accurate adhibitis et perpensis virorum illustrium facta enarrarit aut 'ὑπομνήματα ἱστορικά' undique collegerit, ut eius vitae et ipsae pars sint φιλοσοφίας ἠθικῆς nec ullo modo secerni possint a scriptis moralibus, cum Plut. enucleate fateatur voluisse sese specimina edere vitae bene instituendae et hanc tantum ob causam 'τῆς τῶν βίων ἅψασθαι γραφῆς .. ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἁμῶς γέ πως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων (sc. hominum praeclarorum) ἀρετὰς τὸν βίον'.[1])

Quae cum ita sint, haud multum valere Plutarcho videbantur insignium virorum res gestae quibus domi bellique ceteros superabant quasque rerum scriptores summi faciunt; contra admodum eius intererat illorum mores quam dilucidissime describere, uti alii homines eos possent imitari. Minime nimirum contendo Chaeronensem magnos illos historicos ab Herodoto usque ad Polybium

1) cf. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte p. 219 sqq.

prorsus neglexisse, immo persaepe in vitis componendis Ctesiam, Thucydidem, Ephorum, Theopompum, Aristotelem, Durim, Hieronymum Cardianum, Dinonem, Valerium Antiatem, Polybium, Sallustium, Posidonium, Dionysium, ut alios omittam, inspexit; at multo diligentius operam dabat, ut fontes sibi acquireret ad hominum clarorum naturam ingeniumque illustrandum utiles. Quo factum est, ut prae ceteris incideret in Peripateticos illos qui simili perducti consilio Theophrasti vestigiis ingredientes *βίους* qui dicuntur conscripserunt: dico Dicaearchum, Phaniam, Clearchum, prae ceteris autem Satyrum et Hermippum Callimacheum[1]) quorum historiolis et flosculis Plut. e. g. Lycurgi et Solonis vitas exornasse videtur.

Pari modo etiam alii vitarum scriptores qui prioribus temporibus floruerunt Chaeronensi usui erant; minime enim ignorabat iam Xenophontem de Agesilai, Polybium de Philopoemenis, Paetum Thraseam de Catonis minoris vita peculiaribus libellis disputasse; nec eum fugerunt Aratus Sicyonius, Aristobulus, Sulla, Cicero ipsi suas res gestas posteris tradentes.

In Dionis vita epistulis Platonis quae feruntur, in Alexandri vita huius regis epistulis et commentariis, quoad aetatem tulerant[2]), abunde usus est. Accedit quod tam exquisitos fontes sibi paravit quales sunt Stesimbroti Thasii famosus ille libellus quo Themistocles, Thucydides Melesiae filius, Pericles vexabantur et Ionis Chii liber '*Ἐπιδημίαι*' inscriptus, quae duo volumina rerum scriptoribus nullam paene materiem praebere poterant. Praeterea Chaeronensi sine dubio praesto erant varia illa narratiuncularum et dictorum singularium collectanea quorum series ab Heraclide Lembo, Chamaeleone, Lynceo Samio, Hegesandro Delphico usque ad Plutarchi aetatem numquam interrupta erat.[3]) — Nec non noster comicos atticos cum veteres tum recentiores perscrutatus esse videtur, uti cognosceret, quid hi poetae hominibus quorum vitam enarraturus erat aequales de eis iudicavissent.

Omnibus his auctoribus satis diversis et magna ex parte quidem fide prorsus indignis quos quam brevissime perlustravi nescio an scriptori vere historico ullo modo uti non licuerit; contra Plut. suo iure eos adire et permulta ex eis lucrari poterat, quippe qui non tam virorum clarorum facta quam mores naturamque describere

1) cf. de hoc litterarum genere Susemihl, Alex. Lit.-Gesch. I 492 sq. 498. Wachsmuth, l. l. p. 203 sq.

2) cf. Wachsmuth, l. l. p. 575. Büdinger, Die Universalhistorie im Alterthume p. 165. cf. ibid. p. 80 adn. 3.

3) cf. Susemihl, l. l. I 487 sq. 489 sq. 501 sq. Wachsmuth, l. l. p. 204.

sibi proposuerit, non tam historica fide, temporum ordine accurate servato, res gestas enarrare quam dictis et historiolis effictis sane maxima ex parte, at dilucidis et significantibus, homines edocere voluerit, quomodo optime suam vitam possent instituere.

Quae omnia ubi perspexerunt, homines docti desierunt vitas Plutarcheas paene omnes paucis auctoribus assignare, quos Chaeronensis ad verbum fere expilarit. — At quamquam iam constare videtur hunc philosophum opera sua satis libere composuisse, fontibus undique congestis ad suumque arbitrium examinatis et distributis, tamen nuperrime ad scripta eius moralia interpretanda eandem rationem viamque inierunt quae in vitis percensendis quin prorsus reicienda sit nemo adhuc, ni fallor, dubitare conatur.

Nituntur hi homines docti maxime uno commentationis 'Περὶ εὐθυμίας' loco quem infra tractabimus, ubi Plut. certiores nos facit se in Paccii amici usum nil nisi commentarios quos forte in manibus habebat contexuisse; nec vero idem in omnia eius scripta cadit, uti nec Schmertoschio, Duemmlero, Heinzio assentiri possim conicientibus Plutarchum magnam librorum suorum partem fere ad verbum deprompsisse ex Xenocratis Chalcedonii operibus nec facere possim cum Wendlando, Duemmlero, Gieseckio, Heinzio, Hensio, Henrico Weber quorum ex sententia Chaeronensis fere totus pendet a philosophis illis qui Stoicorum doctrinam cum Cynicis commentis mirabilem in modum commiscuerunt. Id non nego nostrum cynicostoicae quam vocant sectae illa aetate per totum imperium Romanum florenti pari modo atque Musonium, Epictetum, Dionem admodum fuisse addictum; at quamvis quicumque in qualibet scientia aliquid expedire volebat in altera saeculi duodecimi parte Kantii, in prima huius saeculi parte Hegelii vestigiis ingressus sit, num contendere audebimus omnes hos auctores illorum duorum philosophiae ducum aut eorum discipulorum libros paene ad verbum in suas dissertationes transtulisse, quippe quae scateant Kantii Hegeliive doctrina? Accedit quod Plut. Stoicis Cynicisque minime favebat, quamquam eorum ratiocinationibus aliquo modo imbutus erat; immo in universum eum Academicorum non solum veterum sed etiam recentium familiam secutum esse et permulta Platoni debere vel tirones clamitant.

Praeterea Plutarchum non tantum philosophos recentiores — Academicos dico, Peripateticos, Cynicos, Stoicos, Epicureos — summo studio amplexum esse sed etiam descendisse ad graecae philosophiae primordia veterumque philosophorum scripta, quoad illa aetate servata erant, diligentissime pertractasse nec unice ex

manualibus omnium manibus tritis eorum sententias petivisse in dies spero fore, ut clarius fiat et homines docti sibi persuadeant non omnia quae profert Chaeronensi affluxisse ex Xenocratis, Theophrasti, Posidonii, Musonii, nedum ex Aristonis Bionisve libris, sed eum ipsum fontes adisse et magno usui nobis esse ad veteris philosophiae historiam illuminandam. — Ita e. g. de deo et oraculo Delphico cogitationes commendare et stabilire studet commentis Heracliteis[1]; permulta Empedoclis carminum frustula una Plutarchi opera aetatem tulerunt; atque etiam Democritum auctorem nostrum saepius adhibuisse et inspexisse, uti adminicula praebeat quae spernere minime licet eis qui Abderitae commenta cum in physicis tum in ethicis egregia et commemoratione dignissima accuratius definienda sibi proposuerunt alia spero occasione me comprobaturum.[2]

Quae omnia si comprehendimus, iam ad liquidum deductum est Chaeronensem nequaquam fuisse merum compilatorem, sed quamquam prorsus pendet a prioribus Graecorum scriptoribus — id quod illa aetate propriis sententiis minime abundante plane necesse erat — tamen exquisitissimos saltem et rarissimos fontes non solum Graecos[3] sed etiam Latinos[4] undique congessisse, id quod eo magis memoratu perdignum est, quia Plutarchum haud bene de Romanorum lingua litterisque edoctum fuisse satis constat.[5]

1) 'De *Eἰ* apud Delphos' c. 18 fere totum fragmentum videtur philosophi Ephesii satis copiosum.

2) De Democriti stilo iudicium fert 'Quaest. Sympos.' V 7, 638 A; confer ea, quae Wachsmuth ad Timonis Phliasii fr. 2 congessit.

3) Eis quae supra exposui adde quod Plut. in clarorum Atheniensium vitis diligenter perlustravit Crateri Macedonis '*ψηφισμάτων συναγωγήν*'; in Lacedaemoniorum vitis saepius laudat Aristocratem auctorem alias plane ignotum. (cf. Lycurg. c. 4 fin., c. 31 fin. Philopoem. c. 16 med.)

4) Nam admodum dubito num Plut. omnia quae ad Romanos spectant Iubae regi debeat, quamquam eius libros Plutarcho notos fuisse apparet ex vitae Sertorii cap. 9. Ex Varrone permulta sine dubio lucratus est. Sallustii historias, Livii opus, Sullae et Ciceronis de vita sua commentarios (v. supra), fortasse etiam Ciceronis Catonem maiorem non ignorabat. Nec non satis memorabile est quod in Luculli vitae c. 39 Horatii nonnullos versus (Ep. I 6, 45 sq.) laudat. cf. praeter Kiesslingii adnotationem Heinze, 'De Horatio Bionis imitatore' p. 11. Gercke, Rh. M. 48, 45 sq.

5) Qua de re Plut. ipse certiores nos facit in Demosth. vit. c. 2. cf. Volkmann, Plutarch I 35 sq. Heinze, l. l. in universum evincere studet, Plutarchi, Luciani, Maximi Tyrii, aliorum exemplis allatis, Graecos

Haec omnia, quoad ad vitas pertinent, iam supra satis evicimus idemque in Moralia quae dicuntur Plutarchea cadere eo facilius tibi persuadebis, si recogitas ingentem fere omnium aetatum hominum qui seu solito seu astricto sermone scripserunt molem a philosopho nostro collaudari, quorum magnam sane partem in manualibus, gnomologiis, onomasticis, lexicis invenire poterat, multo maiorem autem quin ipse ex ipsis auctoribus collegerit addubitari nequit.

Praeter ea quae exposui Chaeronensem ardore quodam et subtilitate studia litterasque vel interiores et reconditas amplexum esse etiam ex eo apparet, quod res tam diversas velut physicas, ethicas, historicas, theologicas pari amore perscrutatus est.[1])

Nec non illorum qui Plutarchum unice enchiridiis epitomisve tritis ac vulgaribus usum esse coniecerunt facile respui potest sententia, quia nostrum bibliothecam possedisse egregiam satisque uberem accipimus ex Quaestionum Symposiacarum loco quodam (V 2, 8) ubi haec exstant: '*ἐπιφυομένων δὲ πολλῶν, καὶ τὸν βεβαιωτὴν ὡς ἀπίστου . . . τῆς ἱστορίας ἀπαιτούντων, ἐπιτυχῶς ἀναμνησθεὶς ἀπέφαινον Ἀκέσανδρον ἐν τῷ περὶ Λιβύης ταῦτα ἱστοροῦντα*', et ex eis quae sequuntur apparet etiam Polemonis de thesauris Delphicis scriptum Plutarcho praesto fuisse.

Cui non obstat[2]) quod Plut. in vitae Demosthenis cap. 2 exponit necesse esse, ut homo qui historiam scribere velit incolat '*πόλιν εὐδόκιμον καὶ φιλόκαλον καὶ πολυάνθρωπον, ὡς βιβλίων τε παντοδαπῶν ἀφθονίαν ἔχων ... μὴ πολλῶν μηδ' ἀναγκαίων ἐνδεὴς ἀποδιδοίη τὸ ἔργον*' lugetque quod ipse in parvo vivat oppidulo; nam ex eis quae sequuntur elucet haec omnia spectare maxime ad Romanas litteras linguamque quas sero tantum et obiter sibi innotuisse Chaeronensis hoc loco nos docet.

Paulo maioris momenti videtur alius locus qui exstat 'De *Eἰ* apud Delphos' c. 1, 384 E, ubi Plut. se excusat quod dialogos Py-

Romanorum litteris nullam plane operam incubuisse, quae coniectura modum paululum excedere mihi videtur.

1) cf. Wachsmuth, l. l. p. 218. Volkmann, l. l. I 108 sq.

2) Minime Wachsmuthii iudicium (p. 215) probare possum qui dicit: 'Hier (in Chäronea) hat er auch seine meisten Bücher geschrieben . . . ein Umstand, der für die richtige Würdigung seiner Arbeitsweise nicht unwichtig ist, da, wie er selbst (Demosth. 2) anführt, ihm in der kleinen Provinzialstadt die Fülle der Bücher, wie sie die reichen Bibliotheken der Kapitale besassen, nicht zu Gebote stand und er . . bei seiner Schriftstellerei in Chaironeia einfach auf sein Gedächtnis oder seine früheren Exzerpte angewiesen war.' cf. etiam Volkmann, l. l. I 76 sq.

thicos Sarapioni aliisque amicis Athenis versantibus mittat; dicit enim: ‘πρὸς σὲ .. τῶν Πυθικῶν λόγων .. ἐνίους ὥσπερ ἀπαρχὰς ἀποστέλλων, ὁμολογῶ προσδοκᾶν ἑτέρους καὶ πλείονας καὶ βελτίονας παρ' ὑμῶν, ἅτε δὴ καὶ πόλει χρωμένων μεγάλῃ καὶ σχολῆς μᾶλλον ἐν βιβλίοις πολλοῖς καὶ παντοδαπαῖς διατριβαῖς εὐπορούντων'. At ne haec quidem verba multum valent, sed specimen potius sunt Plutarchi modestiae; nam hos dialogos doctrina admodum subtili splendidos nullo modo componere poterat, nisi multi libri ei praesto erant.

Quae cum ita sint, iterum luce est clarius homines illos doctos supra enumeratos haud recte iudicare Chaeronensem unum seu duos tantum auctores in quoque libro expressisse, immo permultos eum scriptores perlegisse amore quodam legendi impulsum permultaque ex eis excerpsisse quibus in suis operibus componendis plus minusve libere usus est iam satis videtur manifestum, uti eum qui in Plutarchi fontes inquirere studet non solum in vitis sed etiam in commentationibus moralibus examinandis praecipue varia illa collectanea secernere et indicare deceat.

Nec vero opificis sed artificis in modum noster omnes has excerptiones atque collectanea colligavit suisque auxit additamentis et deliberationibus; quod ubi concesseris, facile intelleges prorsus esse necessarium, priusquam Plutarchi fontes enucleandos aggredimur, quaerere, quomodo ipse commentationes suas composuerit ac quomodo singuli libelli cum quod ad indolem tum quod ad temporum rationem attinet inter se cohaereant. Qua quaestione soluta multo aptius quam ex opinione praeiudicata auctores quos Chaeronensis secutus est enodare et definire poterimus.

Quibus causis permotus mihi proposui aliquot Chaeronensis scriptorum moralium compositionem et conexum accuratius explicare operamque dare, ut specimen edam aptae horum voluminum interpretationis.

Iam tenendum est Plutarchum in scriptiunculis suis moralibus maxima ex parte non subtilibus ratiocinationibus sed certis regulis ac praeceptis ad cottidianam vitam spectantibus exponere, quomodo homines bene et feliciter vitam suam instituere possint, et quamquam non alienus erat a spinosa Peripateticorum et Stoicorum de moribus doctrina, summum posuisse in vita bona beataque describenda omnibus vitiis et perturbationibus vacua.

Hoc ut efficeret complures libellos composuit qui tam arcte inter se cohaerent, ut uno vitae articulo conscripti videantur, quarum in commentationum conexum, indolem, temporum rationem

accuratius inquirere mihi liceat, cum ex hac quaestione via quadam ac ratione instituta lux, ni fallor, evasura sit non solum ad Plutarchi moralem doctrinam adumbrandam, sed etiam ad scribendi rationem qua usus est et ad ordinem quo dissertationes suas composuit perspiciendum haud inutilis.

In omnibus his disputatiunculis auctor noster permulta non dubito quin suo ingenio debeat; nec vero parvam partem et sententiarum quas illustrat et exemplorum quibus opera sua exornat ex vetustioribus auctoribus ei affluxisse consentaneum est, et in omnia fere volumina Plutarchea de quibus disputaturi sumus cadere videtur illud quod in libri '*περὶ εὐθυμίας*' inscripti initio ipse fatetur: '*ἀνελεξάμην περὶ εὐθυμίας ἐκ τῶν ὑπομνημάτων, ὧν ἐμαυτῷ πεποιημένος ἐτύγχανον*', quo loco Chaeronensis etiam de causis nos certiores facit quibus permotus tales edat commentationes ('*ἡγούμενος καὶ σὲ τὸν λόγον τοῦτον οὐκ ἀκροάσεως ἕνεκα θηρωμένης καλλιγραφίαν, ἀλλὰ χρείας βιωτικῆς ἐπιζητεῖν*').

CAPVT I.

De libro '*περὶ εὐθυμίας*' inscripto ('De tranquillitate animi').

Iam videamus, quomodo Plut. hunc '*περὶ εὐθυμίας*' libellum composuerit, ut patefiat revera eum pendere a commentariis suis aliunde collectis.[1]

Ac primo quidem capite Paccium amicum allocutus affirmat sapientem decere '*τῶν λόγων, ὅσοι πρὸς τὰ πάθη βοηθοῦσι, πρὸ τῶν παθῶν ἐπιμέλεσθαι*', ne serius ab ratione auxilium petat.

Iam vero capite altero propositam materiem aggressus Democritum impugnat — nam hominem voce '*τις*' significatum quocum in capitis initio digladiatur Democritum esse homines docti iam pridem perspexerunt.[2] Abderita enim ex Plutarchi quidem sententia eum qui animi tranquillitatem sibi parare cuperet a negotiis et publicis et privatis se abstinere iusserat. Cui Chaeronensis opponit non '*ἀπραξίαν*' cardinem esse tranquillitatis et felicitatis,

1) Breviter huius libri compositionem perlustrat Ricardus Heinze, Rh. M. 45, 497 sq. quocum in multis plane consentio, quamquam non desunt in quibus minime ei adstipulari possum.

2) cf. Hirzel, Hermes 14, 368. Natorp, Die Ethika des Demokrit p. 22. 57. 115 sq.

sed finiri 'τὸ εὔθυμον' et 'τὸ δύσθυμον' non nisi 'τῷ καλῷ καὶ τῷ αἰσχρῷ'.

In capite tertio negat ex una tantum vitae condicione beatitudinem assumi posse, qua accepta nos ea funditus tollere possemus quae revera sint 'τῆς ψυχῆς τὰ λυποῦντα καὶ ταράττοντα'; immo unam rationem nobis reddere suavem quemvis vitae statum et tolerabilem, quoniam (c. 4) tranquillitatis fons in nostro animo reclusus sit, quo purgato nobis 'καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται'. Quae cum ita sint, optimum auctori nostro videtur quodcumque fortuna nobis misit libenter aequoque animo ferre et vel ex pessimis in quae incidimus 'οἰκεῖόν τι καὶ χρήσιμον' capere; nam contrarium facere hominis esse inepti. (c. 5.)

Quam sententiam qua negatur decere sapientem 'μεθιστάναι τὴν τύχην ἐκ τῶν ἀβουλήτων', postquam in capitis sexti priore parte dilucidius adumbravit, Plut. verbis quibus hac ratione saepius utitur 'διὸ καὶ τοῦτο etc.' (p. 467 E) novam rem[1] 'πρὸς εὐθυμίαν' utilem affert, cum hominibus suadeat, ut in adversis rebus versantes ad claros homines respiciant qui eisdem fere infortuniis olim oppressi sint.

Iam novum sententiarum nexum exhibet cap. 7 cuius argumentum hoc est: valde prohibet ne animi tranquillitatem adipiscamur quod vel inimicorum amicorumve vitiis haud raro ad iram incitamur, et in eis quae sequuntur Plut. exponit, qua medicina Paccius qui et ipse hac animi perturbatione aegrotasse videtur pravam istam iracundiam effugere possit semper in animo tenens sodales non esse 'ἐπιεικεῖς καὶ χαρίεντας' semperque consuetus 'τοῖς πράγμασιν ἐλαφρῶς συμπεριφέρεσθαι'.

Nec vero in capite octavo auctor hac disserendi via progreditur, sed verbis 'ὅθεν ἐκεῖνον αὖθις τὸν περὶ τῶν πραγμάτων λόγον ἀναλάβωμεν' aperte redit ad ea quae in capitibus 4—6 exposuerat usque ad eum capitis sexti locum quo novam sententiolam incohari supra demonstravimus; nam postquam altera capitis 6 parte breviter comprehensa praecepit, ut in qualicumque re adversa respiciamus 'ἑτέρους ταὐτὰ προσδεχομένους ἀλύπως καὶ ἱλαρῶς', pergit sic (469 A): 'ἀγαθὸν τοίνυν ἐν τοῖς ἀβουλήτοις συμπτώμασι πρὸς εὐθυμίαν καὶ τὸ μὴ παρορᾶν, ὅσα προσφιλῆ καὶ ἀστεῖα πάρεστιν ἡμῖν, ἀλλὰ μιγνύντας ἐξαμαυροῦν τὰ χείρονα τοῖς βελτίοσι' etc. Eodem modo dixerat c. 5, 467 B 'τὸ

1) cf. Heinzium, l. l. p. 499.

μὲν βάλλειν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, τὸ δὲ προσηκόντως δέχεσθαι τὰ γιγνόμενα παρὰ τῆς τύχης καὶ νέμειν ἑκάστῳ τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὸ οἰκεῖον ὠφελήσει μάλιστα καὶ τὸ ἀβούλητον ἥκιστα λυπήσει τοὺς ἐπιτυγχάνοντας, ἡμέτερον ἔργον ἐστίν, ἂν εὖ φρονοῦμεν' et in eiusdem capitis fine exstant haec: '*οἱ δὲ φρόνιμοι, καθάπερ ταῖς μελίτταις φέρει μέλι τὸ δριμύτατον καὶ ξηρότατον ὁ θύμος, οὕτως ἀπὸ τῶν δυσχερεστάτων πολλάκις πραγμάτων οἰκεῖόν τι καὶ χρήσιμον αὐτοῖς λαμβάνουσι*', cui similitudini ab apibus petitae simillima ea est quae in capite 8 verba supra exscripta excipit: '*τὰς μὲν ὄψεις ὑπὸ τῶν ἄγαν λαμπρῶν τιτρωσκομένας ἀποστρέφοντες ταῖς ἀνθηραῖς καὶ ποώδεσι χρόαις παρηγοροῦμεν*'.

In eis quae sequuntur (c. 9) Plut. has cogitationes amplificans demonstrat, quam sit stultum falsumque omnibus bonis quae fortuna nobis dono dedit prorsus neglectis semper haerere in rebus pessimis et iniucundissimis, uti reddamus etiam omnia alia nobis '*ἀνόητα*'. Sapientem contra hominem vel res cottidianas quamvis viles quae ei praesto sint non solum non pro nihilo habere sed, ut earum suavitatem perspiciat, sibi fingere eas sibi non adesse, ut grato animo eis fruatur.

In extremo capite Chaeronensis Arcesilai verbis usus eos perstringit qui non suam vitam spectantes sed '*ἔξω βλέποντες καὶ θαυμάζοντες ἀλλοτρίας δόξας καὶ τύχας*' aliis semper invident. Nec vero satis intellegere possum, cur Heinze (p. 500) hoc ferat iudicium quod ipsis eius verbis repetam: 'Der Zusammenhang ist zerrissen in cap. 9 zwischen '*ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πραότερον φέρωμεν*' und '*οἱ δὲ πολλοὶ ποιήματα μέν, ὡς ἔλεγεν Ἀρκεσίλαος, ἀλλότρια*' e. q. s. Die Schuld daran trägt wohl, dass der erste Teil von c. 9 aus anderer Quelle eingeschoben ist.' At cur interruptus est sententiarum nexus? Optime, ni egregie fallor, earum ordo progreditur in capite 9; nam in priore parte c. 8 certa ratione excipiens Plut. homines iubet res levissimas quasque sibi proprias '*ἔν τινι λόγῳ τίθεσθαι*', cui praecepto altera capitis pars perbene respondet ubi ei castigantur qui suam vitam '*ἔχοντα πολλὰς οὐκ ἀτερπεῖς ἀναθεωρήσεις* (cum maximas scilicet tum minimas) *ἐῶσιν*'.

Contra recte Heinze perspexit cum his deliberationibus arctissimo coniunctum esse filo cap. 10 quod similiter incipit atque c. 6, 467 E et c. 8, 469 A ('*καίτοι καὶ τοῦτο μέγα πρὸς εὐθυμίαν ἐστί*'). Duae autem res in hoc capite secernuntur; praecipit enim noster aut '*αὑτὸν ἐπισκοπεῖν καὶ τὰ καθ' αὑτόν*' — uti in

capitibus 8 et 9 — aut — id quod solum fusius exponitur — non ad superiores beatioresve respicere sed ad eos qui nobis infeliciores et inferiores sunt.

Spinosius Heinze iterum, duas partes haud ita apte coniunctas ut seiungat operam dat his verbis: 'In c. 10 bezieht sich die erste Schilderung auf griechisch-orientalische, die zweite auf römische Verhältnisse; diese ist also wohl Plutarch selbst zuzuschreiben.' Haec argumentandi ratio satis lubrica est; accedit quod in prima quoque parte Plut. post Archilochi versus Bithynium sibi fingit aliquem qui queritur quod nec '*φορεῖ πατρικίους*' nec '*στρατηγεῖ Ῥωμαίων*'; contra in altera parte is qui aegre fert quod non proconsul procuratorve est Socrati opponitur; nec in universum intellego, quas ob causas Heinze neget Plutarchum etiam ea exempla quae ad Graeciam et ad Orientem spectant ex suo arbitrio auctori suo inserere potuisse.

Eis autem, ut in libri nobis propositi argumento enarrando pergam, qui facere non possunt quin aliorum hominum commodis invideant Chaeronensis suadet in capite 11, uti eorum quos beatos ducunt non solum res secundas sed etiam multiplices calamitates cum bonis semper fere coniunctas animadvertant, ne sua commoda cum illorum comparata iusto minoris faciant momenti. — Eandem plane sententiam Plut. etiam in capitis sexti altera parte, quam diversam esse ab antecedentibus supra demonstravimus delineaverat. — Quae cum ita sint, non unum commentarium sed duos quorum uterque sententias exhibebat — ex uno forte libro expressas sed a Plutarcho in schedis suis seorsum servatas et adhibitas — inter se satis affines auctorem nostrum in suam dissertationem transtulisse necessarium videtur.

Iam ex eis quae exposuimus satis elucet capita 8—11 arcte inter se cohaerere, et haec fere eorum summa est: recogita non aliorum sed tuam fortunam; nam ei qui te superare videntur revera in pessimis versantur infortuniis. Qui sententiarum nexus cum capitis 6 priore parte coniungendus est; capitis 6 altera pars et c. 7 contra aliunde intrusa sunt.

In capitibus 12 et 13 novae cogitationes proferuntur petiturque similem in modum atque c. 6 med., c. 8 init., c. 10 init. principium a verbis '*οὐχ ἥκιστα τοίνυν εὐθυμίαν κολούει*', ut significetur auctorem ad novam se convertere sententiam.

Exponit enim Plut. ineptum esse et permultum valere ad *animi tranquillitatem* perturbandam, si res appetimus maiores quam *nobis contingere* licet et in qualicumque re cum maxima tum

minima primum locum tenere volumus eis non contenti quae natura sua sponte nobis praebuit. (c. 12.)

Hoc eo ineptius esse quod eiusmodi homines persaepe res cupiant prorsus sibi repugnantes quae nulla ratione coniungi possint; plurimum contra proficere, quoniam 'οὐ πάντα πάντων ἐστίν, χρῆσθαι πρὸς ἕν, ὃ πέφυκε' nec credere miserabilem esse nostram condicionem si non 'καὶ τὰ τῶν πλουσίων ἅμα καὶ τὰ τῶν λογίων καὶ τὰ τῶν στρατευομένων καὶ τὰ τῶν φιλοσοφούντων . . . ἔχωμεν προτερήματα'; nam decere sapientes 'τὸ πρόσφορον ἑαυτοῖς ἑλομένους καὶ διαπονοῦντας ἐᾶν τὰ τῶν ἄλλων. (c. 13, 473 A quo cf. c. 9 fin. 'τὸν δ' ἑαυτῶν βίον ἐῶσιν.)

Hae ratiocinationes affines sunt eis quae in capite 10 adumbrantur, nec vero totae cum eis congruunt; nam ibi de eis tantum agitur qui se ipsis superioribus et felicioribus livent; capita 12 et 13 contra eos sugillant qui omnium hominum commoda quamvis contraria sibi conciliare student. Praeterea Heinze (p. 500) recte animadvertit in capitibus 8—11 agnosci fortunam cuius insidias sapiens rationis vi opprimere soleat, contra in capitibus 12 et 13 Chaeronensem fortuna plane neglecta homines monere, ut ipsi vitam suam suae naturae suisque viribus convenientem instituant; nec vero huic argumento multum tribuam, cum in capitibus 8—11 res sit de exteris solum rebus quae extra nostram sunt potestatem, in capitibus 12 et 13 contra certus sententiarum progressus efficiatur aliquidque novi afferatur ad id spectans quod in nostra potestate positum est.

At accedit aliud quo certissime evincitur capita 12 et 13 revera ex alio commentario atque capita priora deprompta esse vel saltem apud Plutarchi auctorem alium obtinuisse locum; nam inspice, quaeso, capitis 14 initium ubi verba 'ὅτι δ' ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα' etc. quin ad capitis 9 indolem respiciant, sententias ibi expositas continuent, cum capitis 10 initio planissime concinant, neminem spero fore quin dubitet, ut admodum mirer quod Heinze contendit: 'Ebensowenig, glaube ich, sind die c. 14—16, die sich eingehender mit dem Verhalten gegenüber vergangenen und zukünftigen Ereignissen befassen, der ersten besprochenen Quelle zuzuweisen', quam coniecturam eo argumento stabilire conatur quod 'davon, dass alles auf unsere Auffassung der äusseren Verhältnisse ankomme, hier ebensowenig wie in c. 12 die Rede ist'.

At id falsum est; nam in capitis 14 initio Plut. certis verbis dicit tranquillitatis fontem in nostro animo esse edocetque nos

in eodem capite, quomodo res exteras acerbas pristinae felicitatis memoria obtegere possimus, id quod excipitur capite 15 ubi auctor hominibus infelicibus suadet bona sibi relicta malis quibus urgentur admiscere.

Ceteroquin Heinze non recte suspicatur huic libello et commentationis 'De Iside et Osiride' capiti 45 eundem subiectum esse commentarium, quia in utroque libro Heracliti fragmentum quoddam (p. 22 Bywater) cum Euripidis nonnullis versibus (Aeolus fr. 21 N.) coniungitur; nam cum pervulgatissimi isti versus erant[1]) tum in 'De Is. et Os.' c. 45 Plut. aliquid plane aliud comprobare studet atque in capite de quo nos agimus; illo enim loco explicatur duo esse mundi principia, et bonum et malum; hoc autem loco demonstratur in cuiusque hominis vita bonas et malas sortes semper commixtas esse. Quas ad sententias amplificandas Plut. ex uberibus commentariis suis, uti solet, veterum philosophorum poetarumque enuntiata adhibuit, uti casu tantum in utraque dissertatione in eosdem auctores inciderit.

Iam accuratius quaeramus, quomodo c. 14 et quae sequuntur cum prioribus cohaereant.

In capite 14 Plut. homines beatam vitam appetentes semper rerum praeteritarum memoriam tenere iubet, quod si faciant in perpetuum eis frui possint.

In capite 15 transitus illa formula quae iam saepius nobis innotuit pergit: 'καὶ τοῦτ' οὖν τὴν εὐθυμίαν ἐπιταράσσει· κἀκεῖνο μᾶλλον' etc. reprehenditque eos qui miseriarum tantum semper reminiscuntur nec mala cum bonis ita coniungunt, ut 'ἐμμελές' fiat 'τὸ τοῦ βίου μῖγμα καὶ οἰκεῖον αὐτοῖς' (474 B), quoniam omne bonum semper cum malo quodam commixtum sit. Vides igitur capitis 14 argumentum capite 15 bene excipi; nam ibi homines admonentur ne boni praeteriti umquam obliviscantur, hic auctor eos vetat mala tantum quibus forte vexantur in animo et memoria retinere.

Ergo Chaeronensis eadem plane profert atque in capitis 6 fine et in capite 8, quo etiam egregie quadrat similitudo de tabulis pictis usurpata (473 F) quae mirum quantum concinit cum duabus aliis similitudinibus 467 C et 469 A.

In c. 5 et in c. 14 Plut. stultum sapienti opponit; c. 8 et c. 15 plerosque homines perperam oculos ab iucundis rebus ad

1) Eosdem versus Euripideos habes 'De poet. aud.' cap. 7. cf. praeterea Stob. Floril. 43, 20. Theophrast. Metaphys. p. 316.

calamitates iniucundissimas vertere contendit. — Commixtio boni et mali commendatur in c. 8 et in c. 15. Praeterea redeunt voces ʻπαρορᾶν' c. 8 et c. 14, ʻοἰκεῖον' c. 6 et c. 15.

Capitis 6 prima et capitis 8 altera pars ad eundem nexum sententiarum pertinent at exempla tantum praebent quae sescenta Plut. ipse facile colligere poterat — capitis 6 alteram partem et c. 7 iam supra seclusimus.

Capita 10 et 11 sententiarum ordinem non perturbant sed facile tolli possunt, cum ea quae antecedunt non nisi amplificent et, capitibus 12 et 13 aperte interpositis, filum quod est inter c. 8 et c. 14 manifesto interrumpant. — De capite 9 mox videbimus.

Iam tentemus veteris commentarii quem Plut. sine dubio expressit ordinem, quoad licet, restituere. Hoc fere eius argumentum videtur: hominem sapientem decet ex adversissima quaque re aliquid utile capere, uti apes ex herbis acerbissimis suave mel colligunt. (c. 5 et 6[1].) Prae ceteris oculos non semper malis infigat sed commisceat ea cum bonis hoc modo infortunia tenuans. Quae sententia firmatur similitudine a pratis petita exquisita. (c. 8.) Quibuscum cogitationibus quasi per se conectitur c. 15 ubi plane idem aliis similitudinibus iteratur et fusius illustratur.

At anteit c. 14 e quo accipimus vel bonum praeteritum grato animo eius memoriam retinentibus bonum in praesens tempus fieri.

Quae cum ita sint, inter capita 8 et 14 ut inter se conectantur haec fere supplenda sunt: Quid si in ullo vitae articulo summis calamitatibus opprimimur, estne tum nihil plane boni nobis reliquum?

Homini tali modi quaerenti Chaeronensis in c. 14 respondet: Illud bonum quod desideras praebet tibi boni praeteriti memoria.

In hoc sententiarum progressu etiam c. 9 ponendum est quod, si ea quae exposui recte exposita sunt, c. 8 optime continuat, ut non dubitem quin c. 9 ab capitibus 10—13 secernendum sit.

Postquam in capitibus 9 et 14 dubitatio illa quam supra finxi a Plutarcho sublata est, redit in c. 15 ad ea quae in c. 8 demonstrarat.

Iam si omnia comprehendimus verisimile fit commentarium quo noster usus est in uno conexu exhibuisse capita 5, (6), 8, 9, 14, 15, quam coniecturam tum demum firmiore fundamento stabilire poterimus, si ad locum quendam alium huc spectantem (ʻDe exilio' 4 et 5 init.) pervenerimus. Iam pedem proferamus.

In capite 16 Plut. novum praeceptum adumbrat, cum suadeat

hominibus, ut semper, si felices esse sibi videantur, contrariam condicionem in animo moveant semperque vereantur, ne ex secundis in adversas res incidant, quoniam 'ᾧ .. δίδωσι πρὸς τὴν τύχην ἀδεῶς καὶ ἀτρόμως εἰπεῖν ὁ λογισμός· 'ἡδὺ μὲν ἄν τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος ἂν ἀπολείπῃς', τοῦτον ἥδιστα ποιεῖ χρῆσθαι τοῖς παροῦσι τὸ θαρραλέον καὶ μὴ δεδιὸς αὐτῶν τὴν ἀποβολὴν ὡς ἀφόρητον'. (474 D.)

Capitis 16 principium dilucide respicit ad capitis 14 initium (c. 16 'ὥστε τούτων ἑκάστου σπέρματα τῶν παθῶν ἀνακεκραμένα' — c. 14 'ὅτι δ' ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα ... αἱ διαφοραὶ τῶν παθῶν δηλοῦσιν'). Sententia est haec: bona et mala non aliunde nobis accidunt, sed iudicium de eis nobismet ipsis destinatum est. Nec vero verba quae in capite 16 sequuntur 'εὔχεται μὲν ὁ νοῦν ἔχων τὰ βελτίονα, προσδοκᾷ δὲ καὶ θάτερα, χρῆται δ' ἀμφοτέροις, τὸ ἄγαν ἀφαιρῶν' apte cum his deliberationibus cohaerent; nam in antecedentibus exponebatur semper hominibus aliquid boni reliquum esse, etiamsi infelicissimi videantur; iam Plut. satis abrupte ad contrarium transgreditur hominibus suadens, uti in beata condicione versantes mala quae immineant numquam obliviscantur semperque timeant, ne ex bona in turpem vitae rationem incidant.

Attamen hic novus conexus sententiarum non prorsus obstat prioribus ratiocinationibus; immo filum detegere possumus quo ad ea quae antecedunt adnecti potest.

Habes enim simillimam cogitationem iam in capite 9 ante Arcesilai enuntiatum ubi conferas haec: 'ἀλλὰ χρῆσθαι μάλιστα (δεῖ) ἐπὶ τῷ χαίρειν καὶ ἀπολαύειν αὐτῶν, ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πραότερον φέρωμεν', et paulo antea legimus in eodem capite: 'οὐδὲ δεῖ κτᾶσθαι μὲν ὡς μεγάλα καὶ τρέμειν ἀεὶ δεδιότας, ὡς ὑπὲρ μεγάλων, μὴ στερηθῶμεν, ἔχοντες δὲ παρορᾶν (cf. c. 8; c. 14) καὶ καταφρονεῖν ὡς μηδενὸς ἀξίων', cui sententiae quam aptissime respondent haec capitis 16 verba: 'τοῦτον ἥδιστα ποιεῖ χρῆσθαι τοῖς παροῦσι τὸ θαρραλέον καὶ μὴ δεδιὸς αὐτῶν τὴν ἀποβολήν', quibuscum iterum conferre licet c. 9 ubi haec exstant iam exscripta: 'ἀλλὰ χρῆσθαι μάλιστα ἐπὶ τῷ χαίρειν καὶ ἀπολαύειν αὐτῶν, ἵνα καὶ τὰς ἀποβολάς, ἂν συντυγχάνωσι, πραότερον φέρωμεν'.

Haec ergo fere videtur Plutarchi sententia: si infelix forte es reminiscere boni praeteriti, uti denuo et in perpetuum eo fruaris tamquam recenti praesentique; contra si felix tibi videris cogita,

quam facile omnibus bonis privari possis, uti futurum malum ubi advenit aequo feras animo.

At in capite 9 hoc praeceptum breviter tantum et paululum abrupte exprimitur, contra clarum fit et perspicuum, si c. 16 cum capite 9 coniungimus.

Quae cum ita sint, confidenter contendere audeam ex eodem commentario c. 16 e quo capita 5, (6[1]), 8, 9, 14, 15 depromptum esse; at admodum contractum et perturbatum videtur, uti ordo sententiarum aliquo modo obscuratus sit, id quod etiam eo probatur quod auctor in c. 15 homines mala semper respicere vetat, in cap. 16 mala semper ante oculos habere iubet. Nonne alterum praeceptum altero tollitur et ad irritum redigitur?

At iam, ni fallor, in mentem tibi venerunt versus illi Horatiani:

'Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum Pectus.'

Similem puto in modum auctorem illum progressum esse cuius librum adhibuisse sese et in amici usum suis chartis inseruisse Plut. ipse fatetur (c. 1). Etiam hic homo praecepit — ut postea Horatius —, uti homines in adversis rebus versantes haererent in bonorum seu adhuc relictorum seu praeteritorum memoria, secundis rebus utentes intentis animis in malorum recogitationem incumberent, ne improvidi subito a fortuna arriperentur. Quod si facerent, omnes calamitates facile eos passuros et εὐθυμίαν in perpetuum sibi paraturos esse. Capitis 9 verbis quorum supra mentionem feci hae sententiae breviter continentur, at falso ibi Plut. haec verba antecepit quibus in genuino commentario sine dubio c. 15 cum capite 16 conglutinatum erat.

In omnibus capitibus hucusque percensitis Chaeronensis operam dat ut demonstret, quomodo homines ab infortuniis se defendere possint, exponens permultos casus quos summas ducunt calamitates ne umbram quidem miserae condicionis prae se ferre; concedit sane non plane deesse in vita humana mala et gravissima quidem; at negat sapienti haec ullo modo nocere posse, quoniam rationis vim et animi tranquillum statum rapere fortunae numquam liceat. Iam tibi persuaseris quam egregie etiam c. 16 huc quadret; nam toto capitum 9, 14—16 argumento evincitur sapienti ne pessimam quidem sortem animi tranquillitatem eripere posse, sed aut mala quibus urgeatur cum bonis relictis praeteritisve eum commiscere (capp. 8; 14; 15) aut, dum ea felicitate quam plerique summi faciant fruatur, tam saepe et tam vivaciter de malis quibus

undique cingatur cogitare, ut, si quondam ipse eis tangatur, nequaquam perturbetur. (cpp. 9 et 16.)

Eodem pertinet capitis 17 prima pars, ubi Plut. nos edocet non modo illis considerationibus de quibus satis disputatum est, sed etiam eo sapientem fortunae iniurias facile superare posse quod legibus quibus omnia per totum mundum gubernentur perspectis intellexerit nihil casu et fortuito, sed omnia certis legibus fieri.

Hucusque sententiarum progressus bene enodatus videtur nec Heinzio adstipulor neganti c. 17 cum capitibus 14—16 arcte cohaerere, cum dicat: 'Dagegen scheint es mir, als kehrten wir mit c. 17 zu dem Tone der Eingangskapitel zurück, mit dem auch in c. 16 manches zu stimmen scheint.' Hoc ut comprobet hic homo doctus eo nititur, quod 'in c. 17 wieder die Machtlosigkeit der *Τύχη* vorgeführt wird', id quod in capitibus 14—16 fieri negaverat. At hoc argumentum reprobare supersedeo, cum iam supra id reiecisse mihi videar et ex eis quae exposui satis eluceat c. 17 a capitibus 14—16 nullo modo secerni posse.

At iam aliae existunt difficultates gravissimae; nam in altera capitis 17 parte, virtutis vi praedicata, Chaeronensis subito postulat, ut sapiens '*ἐγκρατείᾳ καὶ διαίτῃ σώφρονι καὶ μετρίοις πόνοις*' fortunam atque casus avertat. Quae ratiocinationes ita modo ad priora adnecti possunt, ut priorem capitis partem ad res exteras adversas quae scientia et virtute tolluntur, alteram, Plutarchi verba '*τοῖς τε σωματικοῖς*' secuti, ad mala ex ipso corpore nascentia referamus.

Contra ea quae sequuntur mirum quantum a priorum capitum indole distant; nam iam commendatur quasi ultimum remedium et refugium mors voluntaria, quamquam antea Plut. quam apertissime negaverat sapientem ullo modo humanis infortuniis vel pessimis tangi posse.

Ista commenta continuantur capite 18, ubi iterum plane novum inducitur quod *εὐθυμίαν* augeat eadem transitus formula quam iam saepius deprehendimus '*οὐ μικρὸν ἔχει τῆς πρὸς τὸν βίον εὐθυμίας ἐφόδιον τὴν πρὸς τὸν θάνατον ἀφοβίαν*'. — Quam ad sententiam stabiliendam noster mortem voluntariam summis laudibus effert, quamvis haec praedicatio totius commentatiunculae indoli obvia sit. Accedit quod similitudo a '*κυβερνήτῃ*' petita Asclepiadis poetae versibus nititur quos ipse Plut. e collectaneis suis petivisse videtur, uti haec tota capitis 17 altera pars ab commentario quem Chaeronensis in universum libello suo subiecit sine dubio abiudicanda sit.

Iam transeamus ad c. 18, ubi novum τόπον illustrari iam supra indicavimus, quo ἀφοβία πρὸς τὸν θάνατον ut egregium tranquillitatis adminiculum celebratur.

Quae considerationes utrum ex eodem atque priorum capitum longe maior pars an ex alio auctore depromptae sint non nisi quaestione de ipsis Plutarchi fontibus instituta, qua de re intricatissima nobis non agendum est, diiudicari potest; nam una compositionis ratione arctus inter c. 18 et ea quae antecedunt conexus nec requiritur nec respuitur.

At vide quod iterum, ut iam antea saepius fiebat, ὁ φρόνιμος et ὁ ἀνόητος inter se opponuntur et — haud aliter atque in capite 17 — scientia et rectum de anima iudicium Plutarcho summum videtur quo cum alia πάθη tum mortis timor exstinguatur, nec omittendum est quod etiam in capite 18 certis verbis affirmatur nihil prorsus valere fortunam ad sapientis εὐθυμίαν imminuendam, cum nullum malum, ne mors quidem, ei nocere possit. Haec omnia in ea quae anteeunt bene quadrant et una tantum difficultas restat, quod p. 476 C versu Euripideo (Bacch. 468) denuo mors voluntaria quasi ultimum refugium commendatur, quam sententiam una cum Euripidis versu — uti in c. 17 cum Asclepiadis versibus — Plut. iterum ex collectaneis suis variis commentario quo in universum utitur non satis apte inseruit.

In altera capitis 18 parte non dubito quin Plut. omnia quae antea exposuerat his verbis comprehendat: 'καὶ δεῖ μηδὲν ἀπογιγνώσκειν μηδ' ἀπιστεῖν τῶν οὕτω λεγομένων' (476 C med.). Deinde requirit, ut homines tranquillitatem appetentes divino illo furore quem Graeci 'ἐνθουσιασμόν' nuncupant incitati praecepta sua sequantur ('δεῖ . . . θαυμάζοντα καὶ ζηλοῦντα καὶ συνενθουσιῶντα πεῖραν λαμβάνειν ἑαυτοῦ), iubetque istos homines divino quodam stimulo impulsos primum quidem in parvis rebus praeceptis quae edidit operam dare, ut deinde ad maiora et difficiliora ascendere possint.

Qui ἐνθουσιασμός satis breviter sane illustratur, uti nostro iure cupiamus Chaeronensem paulo diutius in hac re gravissima morari dilucidiusque illum enthusiasmum describere. Attamen his ratiocinationibus totius disputatiunculae aptum exordium efficeretur, praesertim cum verbis supra exscriptis auctor noster ipse libelli finem significare et ad divinum furorem omnia referre videatur.

At iam ex inopinato novus incipit sententiarum ordo verbis 'ἀτονίαν γὰρ ἐμποιεῖ' etc., qui apertissime cum c. 16 cohaeret; nam haec fere noster exponit: stultus homo semper haeret in rebus

iucundis (c. 18 fin.) nec, in rebus secundis versans, mala quae ei imminent praesentit (c. 16).

Extrema capitis 18 verba manifesto nos reiciunt ad capitis 17 initium, ubi eadem ratione 'τὰ ἀβούλητα' dividuntur in ea quae 'φύσει τὸ λυποῦν καὶ βαρῦνον' prae se ferunt et ea quae nihil sunt nisi 'τὸ κατεψευσμένον καὶ διάκενον καὶ σαθρόν', uti 'δόξῃ' tantum mala nobis videantur.

Accedit aliud. In capitis 18 fine ad ista infortunia funditus tollenda requiritur 'ὁ καθ' ἕκαστον λόγος', nec vero in eis quae sequuntur eiusmodi quaestio ad singula mala spectans instituitur; contra in capite 17 Plut. nonnullis exemplis adhibitis in hanc rem revera inquirit 'τῷ λογισμῷ πρὸς ἕκαστον' (c. 18 fin.), uti iterum patefiat capitis 18 alteram partem cum capitis 17 prima parte et cum capite 16 coniungendam esse.

At transeamus tandem ad capita 19 et 20. In capite 19 iterum duae partes secernendae sunt quae rhetorica tantum ratione Menandri versu quodam qui duplicem in modum illustratur conglutinatae sunt.[1])

Ac prima quidem pars aperte cohaeret cum capitis 18 quem satis excussimus fine, ubi demonstrabatur ineptum esse malorum φαντασίας ὑφίστασθαι; iam Plut. homines admonet, ne faciant 'ἐν αὑτῷ τὰς φαντασίας ἀτρίπτους καὶ ἁπαλὰς ὥσπερ ἐνσκιατραφούμενον πολλαῖς ἐλπίσιν ὑπεικούσαις ἀεὶ καὶ πρὸς μηδὲν ἀντιτεινούσαις': quibus verbis edocemur unice stultos fortunae malas calamitates non aequo praeparatoque pectore exspectare, sed velut homines deliciis obrutos in mollibus effeminatisque cogitationibus ad futurum spectantibus acquiescere; nonne simillime idem in capitis 18 fine his verbis exprimitur: 'ἐμποιεῖ καὶ μαλακίαν ἡ περὶ τὸ ῥᾷστον ἀεὶ διατρίβουσα καὶ πρὸς τὸ ἥδιστον ἐκ τῶν ἀβουλήτων ἀναχωροῦσα γλυκυθυμία τῆς ψυχῆς'? Quae cum ita sint, hucusque (usque ad c. 19, 476 E med.) pertinent cogitationes quae capitibus 16 et 17 incohantur quasque hoc fere modo circumloqui licet: si mediis in rebus es secundis, noli semper hilari animo in eis haerere (c. 18 fin.; 19 init.), sed respice infortunia in quae celerrime incidere potes (c. 16); nec necessarium est denuo explicare, quam apte haec omnia cum totius libelli nobis propositi indole conspirent, Heinziumque refutare qui (p. 501) inter c. 18 extr., c. 19 et c. 15 differentiam maioris momenti indagasse

1) *Fr. 355 Kock.* Invenimus hoc fragmentum bis apud Stobaeum (*Ecl. I 7, 7a W.; Floril. 111,* 10.)

sibi videtur duos varios Plutarchi fontes indicantem, quia in capite 18 extr. et in c. 19 'ganz entgegen dem in c. 15 Angeratenen empfohlen wird, das Auge fest auf die scheinbaren Übel zu richten, um ihre Nichtigkeit einzusehen'; nam certa et satis perspicua ratione c. 15 et capp. 16, 17, 18 fin., 19 init. inter se opposita esse ab uno eodemque auctore qui illustrare volebat, quomodo sapientem et in mala condicione (c. 15) et in beato vitae statu (c. 16, 17, 18 extr., 19 init.) versantem se habere deceat, neminem spero fore qui neget.

Multo maiores contra difficultates praebet altera capitis 19 pars, quas Heinze ne verbo quidem tangit. Respicit enim haec pars ab iterato Menandri versu principium petens ad capitis 17 summam, omissis eis cogitationibus quae ad mortem voluntariam defendendam ibi proferuntur, nec dubito quin c. 17 apte eis quae in capitis 19 altera parte enarrantur augeatur.

In c. 17 enim victoria quam homo sapiens in qualicumque calamitate a fortuna reportat in universum ponitur in recta cognitione cum legum quibus hominis singuli corpus animusque gubernatur tum principiorum quibus totus mundus subditus est; cf. p. 475 E: 'δόξαι τε χρησταὶ καὶ μαθήματα καὶ λόγοι τελευτῶντες εἰς ἀρετήν, ἀναφαίρετον ἔχουσι τὴν οὐσίαν καὶ ἀδιάφθορον, ἀηττήτους πρὸς τὸ μέλλον εἶναι καὶ θαρραλέους' etc., qua in sententia verbis 'καὶ λόγοι τελευτῶντες εἰς ἀρετήν' alterum adminiculum significatur quo sapiens praeter rectam scientiam cognitionemque fortunam superare possit: dico virtutem quae — pari modo atque scientia — homini qui eius particeps factus est nullo modo eripi potest. Eodem quadrat 475 F, quo loco exponitur fortunam non posse 'κακὸν καὶ δειλὸν .. καὶ φθονερόν' reddere 'τὸν ἀγαθὸν καὶ ἀνδρώδη' etc. nec 'παρελέσθαι τὴν διάθεσιν, ἧς ἀεὶ παρούσης πλέον ἢ κυβερνήτου πρὸς θάλατταν ὄφελός ἐστι πρὸς τὸν βίον'.

At in capite 17 hoc alterum fortunae molestae remedium breviter tantum describitur; supplementum contra nobis offert capitis 19 altera pars, ubi Plut. fusius elatiusque docet quid valeat virtus et bona conscientia ad animi tranquillitatem firmandam et τύχης incommoda avertenda. Quem conexum vel singulis verbis evincere possumus; nam c. 17, 476 A legimus: 'ἡ δὲ τοῦ φρονίμου διάθεσις τοῖς τε σωματικοῖς παρέχει γαλήνην' et c. 19, 477 A haec exstant: 'οὔτ' ἀξίωμα γένους ... εὐδίαν παρέχει βίῳ καὶ γαλήνην τοσαύτην, ὅσην ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν.'

Ut in antecedentibus capitibus persaepe sapiens homini stulto opponebatur, sic etiam in c. 19 tristitia quae ex paenitentia et pudore pravorum factorum effluit hilaritati animi ex virtutis conscientia nascenti opponitur, et ut in capite 18 sic etiam loco nobis proposito ἐνθουσιασμός ('τὴν ἐνέργειαν ἐνθουσιώδη καὶ ἱλαράν') celebratur, quippe qui effectus virtutis sit. Quae cum ita sint, haec verba ad enthusiasmum spectantia cum simili capitis 18 sententia supra laudata conectenda sunt, praesertim cum iam stilo satis elato indicetur totius libelli summam eis contineri.

Iam si omnia disponere volumus, aliqua probabilitate apud Plutarchi auctorem hunc fere fuisse nexum sententiarum conicere possumus: tranquillitatem animi — excepta ratione qua sapiens cum in rebus adversis tum in rebus prosperis contra fortunam se accingere solet — petere iuvat et ex recta scientia legum quibus tota natura regitur (c. 17) — quo pertinere videntur etiam ea quae Chaeronensis contra mortis timorem in capitibus 17 et 18 disputat, unde accipimus sapientem naturae intimam condicionem perspicientem ne mortem quidem vereri — et ex virtute ac bona conscientia (c. 19[2]). — Cui haec duo εὐθυμίας adminicula praesto sunt is ad insignem illum furorem divinum perpetuumque gaudium pervenit, quae duo Plutarcho omnium bonorum summa videntur (c. 19 fin.). Dein sequebatur c. 18, 476 C, ubi auctor vetat homines librum suum legentes ullum praeceptorum suorum neglegere — nec maximum nec minimum —, si εὐθυμίαν animi revera adipisci velint.

Capp. 15 et 16 a Plutarchi auctore ratione quadam inter se opposita esse iam persuasum te habere puto. C. 16 autem dilucide excipitur capitis 18 fine et capitis 19 initio, quorum capitum indoles capitis 15 indoli clare respondet, ubi delineatur, quo modo homo sapiens mala — ut in capitibus 16—19[1] secunda — ferat.

Iterum igitur perspicuum fit apud Plutarchi auctorem plane atque apte et condiciones cum adversas tum prosperas et rationem cum stulti tum sapientis qua uterque utrumque vitae statum accipiat sibi oppositas fuisse.

In capitis 18 fine Plut. operam dat ut nobis persuadeat permulta quae plerisque mala videntur mala esse non φύσει, sed nostra 'δόξῃ κενῇ', quacum deliberatione coniungas capitis 17 initium, uti Plutarchi auctorem hos duos locos uno nexu protulisse, Plutarchum ipsum autem eos dilacerasse in propatulo sit. Postquam in hac dissertationis a Plutarcho expressae parte 'τὰ δόξῃ' *solum* 'ἀβούλητα' detecta et reiecta sunt, eius auctor nimirum 'τὰ

φύσει ἀβούλητα' aggressus est, demonstrare studens ne has quidem sane veras calamitates ullo modo sapienti nocere posse, quod ut comprobet tria eiusmodi malorum remedia attulisse videtur, quorum minoris momenti id est quod c. 17, 476 A describitur, unde accipimus ad corporis incommoda levanda plurimum valere modicam vitae victusque consuetudinem; contra multo pluris aestimandae sunt duae aliae medicinae quibus animi labores sanantur, quarum prima est recta naturae legum cognitio (c. 17), quo spectant etiam ea quae c. 17 et c. 18[1] de mortis timore disseruntur; alterum autem tranquillitatis contra fortunae insidias adminiculum laudabilia sunt facinora quae ex virtute conscientiaque bona effluunt (c. 17, 475 DE et praecipue c. 19, 477 AB).

Ex horum duorum triumve remediorum sapienti et apto usu furor divinus oritur (c. 19 fin.); quo accedit c. 18, 476 C, ubi iterum enthusiasmus celebratur hominesque admonentur, ne quid praeceptorum in prioribus capitibus singillatim perlustratorum omittant. Qua ratiocinatione libri quo Plut. ad suam commentationem conscribendam nitebatur finis sine dubio efficiebatur.

At existit nimirum quaestio cur Chaeronensis auctorem suum tam violenter dilacerarit et genuinum sententiarum ordinem adeo perturbarit. Quod ut faciat Plut. permotus esse videtur causis, ut ita dicam, rhetoricis; e. g. in capitis 18 altera parte totius dissertationis quam sequitur exordium antecepit quo nos hortatur, ut a minoribus ad maiora progrediamur; at statim opponit huic sententiae contrariam, eum perstringens qui semper haeret in rebus lepidis levibusque, maiora et graviora adire non audet. Nec minus manifesto Plutarchum rhetorem et ῥητορικῶς materiem suam disponentem deprendimus in capite 19, ubi duas partes plane contrarias uno versu Menandreo, qui in prima parte refutatur, in altera comprobatur, conglutinari supra perspeximus.

Iam intellegimus cur Plut. auctoris sui exordium ἐνθουσιασμόν praedicans mutilaverit, cum duae causae illae rhetoricae quas significavi in hoc unum convenerint. Quibus causis permotus c. 18 fin. et c. 19 init. quae in genuino commentario inter capita 16 et 17 locum tenebant in illud exordium intrusit, uti iam c. 16 capite 17 excipiatur. Haec omnia quae exposui si accipis et concedis Plutarchum, cum non solum philosophus sed etiam rhetor fuerit, satis libere commentariis illis quorum mentionem facit usum esse, haud inutile hoc erit ad totam scribendi rationem Plutarcheam cognoscendam et ad solvendam quaestionem, qua ratione et quousque auctores suos expresserit et in suos libros transtulerit; nam

vidimus eum non dubitasse genuinae quam adhibuit dissertationis exordium dilacerare et in medio paene libri sui ponere.

Sequitur enim praeter c. 19 enthusiasmi laudem novum caput (c. 20)[1]), quod a Plutarcho ex alio commentario petitum esse alia occasione comprobabimus, quamquam — ut iam Heinze (p. 501) animadvertit — in capite 20 non desunt quae cum prioribus capitibus bene concordant; quod iudicium equidem de ultima tantum huius capitis parte usurpare possum, ubi exponitur nos vitam 'ἀμειδῆ καὶ κατηφῆ καὶ τοῖς ἀτερπεστάτοις καὶ πάθεσι καὶ πράγμασι καὶ φροντίσι μηδὲν πέρας ἐχούσαις πιεζόμενον ἀεὶ καὶ συνθλιβόμενον' videntes temere desperare, non aliunde petere 'ἑαυτοῖς ἀναπνοήν τινα καὶ ῥαστώνην'. — Nonne statim in mentem tibi veniunt quae exponuntur in capitibus 5, 8, 14, 15? Cf. e. g. c. 8, 469 B: 'τὴν δὲ διάνοιαν ἐντείνομεν εἰς τὰ λυπηρὰ καὶ προσβιαζόμεθα τοῖς τῶν ἀνιαρῶν ἐνδιατρίβειν ἀναλογισμοῖς'. — φροντίσιν habes etiam c. 14 init.; πιέζειν c. 15, 473 F; ibid. ἀναπνεῦσαι (c. 20: ἀναπνοή). c. 20: πράγμασι — c. 8 init.: τὸν περὶ τῶν πραγμάτων λόγον. — Praeterea animadvertas in capitibus 8, 14, 15 ut egregium tranquillitatis subsidium praedicari bonorum praeteritorum memoriam et plane idem contineri capitis 20 ultimis verbis: 'λόγος, ᾧ χρώμενοι καὶ τοῖς παροῦσιν ἀμέμπτως συνοίσονται (quo cf. c. 8, 469 A: 'τοῖς πράγμασι πανσόμεθα μεμφόμενοι'; 469 C: 'ἀγαθοῖς δὲ παροῦσιν οὐ προσάγεις τὴν διάνοιαν'. C. 14 init.: 'παρόντα τὰ χρηστά') καὶ τῶν γεγονότων εὐχαρίστως μνημονεύουσι (cf. c. 14 et c. 15 init. ubi idem praecipitur: c. 14 init.: 'οἱ δὲ φρόνιμοι καὶ τὰ μηκέτ' ὄντα τῷ μνημονεύειν ἐναργῶς ὄντα ποιοῦσιν ἑαυτοῖς'; c. 15 init.: 'ἄνθρωποι .. ἐμπλέκωνται ταῖς τῶν ἀηδῶν ἀναμνήσεσι') καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν ἵλεων (cf. c. 8 fin. τὰ λοιπά) τὴν ἐλπίδα καὶ φαιδρὰν ἔχοντες (cf. c. 15, 473 F: 'τῶν πραγμάτων τὰ φαιδρά') ἀδεῶς καὶ ἀνυπόπτως προσάξουσιν.' ('ἀδεῶς' habes etiam c. 9, 469 E; 'ἀδεῶς καὶ ἀτρόμως' c. 16, 474 D.)

Lucramur porro praeter ea quae monui ex capitis 20 fine etiam novum εὐθυμίας adminiculum quod mox magni erit nobis momenti; legimus enim ante verba supra exscripta haec: 'οἱ δ' ἄνθρωποι . . . οὐδ' ἑτέρων παρακαλούντων προσδέχονται λόγον', quibus verbis bene respondet capitis primi exordium: 'τὰ πάθη

1) *cf. Hirzel*, Hermes 14, 377 sq. Bernays, Die Heraklitischen *Briefe p. 33.*

τὰ τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥᾳδίως οὐκ ἔστιν, ἂν μὴ λόγοι παρόντες οἰκεῖοι καὶ συνήθεις ἐπιλαμβάνωνται τῶν ταραττομένων.'

Plutarchi igitur ex sententia etiam amicorum consolationes et adhortationes aliquid valent ad tranquillitatem animo parandam, si forte infortuniis cingimur, uti ad tria *εὐθυμίας* remedia supra enodata quartum accedat, quode infra accuratius erit disserendum.

Iam totius commentationis '*περὶ εὐθυμίας*' inscriptae indolem explicandi tempus videtur, ut omnia quae exposuimus quam brevissime comprehendamus.

Hic fere est genuinus praeceptorum ordo: in adversis rebus collige quotquot bonorum indagare potes malisque admisce (c. 5; 6^1; 8; 14; 15), contra in rebus secundis reminiscere periculorum quae tibi semper fere imminent (c. 9; 16); nam stultus solum homo supersedet etiam acerbis et iniucundis cogitationibus se dedere, cum semper delicato inertique otio fruens suavibus mollibusve rebus incumbat, contra sapiens quieto animo etiam pessimarum calamitatum memoriam tenet et in dies magis sibi persuadet eas maxima ex parte mala esse non *φύσει*, sed pravo nostro iudicio. (c. 18, 476 D—19, 476 E; c. 17 init.—475 C.)

At vel a veris, non solum a fictis incommodis homo sapiens tutus est, quoniam fortuna nihil ei nocere potest (c. 17); firmus enim est et munitus contra omnes casus, cum ei praesto sint:

1) cognitio naturae humanae totiusque mundi nec non mens libera a mortis timore. (c. 17^2; 18—476 C med.) 2) virtus et bona conscientia animusque vacuus a paenitentiae cruciatu (c. 17, 475 DE et c. 19, 476 F sq.); quo accedunt:

3) modica et temperata vivendi consuetudo (c. 17, 476 A) et 4) amicorum benevolae consolationes. (c. 1 fin. et c. 20 fin.)

Quibus ex ratiocinationibus concluditur sapientem diligenter et divino quodam spiritu inflatum ista praecepta in minimis aeque atque in maximis rebus sequentem hilari frui laetitia et enthusiasmo per totum vitae spatium (c. 19, 477 B et c. 18, 476 C med.), qua ratione dissertatiunculae a Plutarcho expressae egregius finis efficiebatur.

At restant nonnulla capita quae nondum distributa sunt. Ac primum quidem caput — exceptis ultimis verbis — ut totius libelli praefatio Plutarcho ipsi, ni fallor, vindicari potest.

C. alterum quo '*ἡ εὐθυμία τῷ καλῷ*' et '*τῷ αἰσχρῷ*' definitur perbonum mihi videtur principium commentarii illius quem Chaeronensis adhibuit. At hanc quaestionem omnium fere intrica-

tissimam peculiari quaestioni qua de Plutarchi fontibus agendum erit relinquamus.

Eidem commentario iam saepius addiximus capita 4, 5, 6[1], 8, 9, 14, 15, 16 nec non etiam capita 17, 18, 19, 20 fin., quamquam etiam alia haud pauca Chaeronensem ex collectaneis suis eis immiscuisse veri est simillimum.

In universum ex omnibus his capitibus sententiarum nexum bene cohaerentem enodavimus.

De capitibus 3, 10 et 11 ex una compositionis ratione certum iudicium fieri nequit. (cf. supra p. 60.)

Secernenda videntur ab illo Plutarchi commentario capitis 6 altera pars quae idem fere exhibet atque c. 11, c. 7, capita 12 et 13 quae aliquo modo capitum 10 et 11 indolem repetunt; at ne haec quidem quaestio certe diiudicari potest, fontis Plutarchei investigatione omissa; contra maiore fiducia a Plutarchi auctore abiudicabimus ea quae in capitibus 17 et 18 de morte voluntaria disseruntur. De capitis 20 longe maiore parte idem statuendum est atque de capitibus 2, 3, 7, 10, 11, 12, 13.

At reponamus quaestionem quam multa ex eis quae significavi aliena sint a commentario in universum expresso; nam cum Chaeronensis auctorem suum tam violenter perturbarit, non dubito quin etiam eorum quae in totius commentationis indolem a nobis enodatam non tam apte quadrant haud pauca eiusdem commentarioli frustula sint, quamquam ex eis quae philosophus noster in primi capitis initio nobiscum communicat sane concludi licet eum compluria 'ὑπομνήματα' in Paccii amici usum adhibuisse, quorum vestigia detegere hoc loco non est nostrum.

CAPVT II.

De libello 'περὶ φυγῆς' inscripto ('De exilio').

Ex eisdem fere collectaneis etiam parvulae illius consolationis 'περὶ φυγῆς' inscriptae[1]) haud exigua pars petita est de qua

1) Missus est hic libellus ad Sardianum quendam qui a civibus suis ex patria urbe expulsus esse videtur (cf. c. 3 fin. et praecipue c. 12), quem ut consolaretur Plut. satis obiter nonnulla quae forte ei praesto erant congessit.

Volkmann, Plutarch II 246 non recte iudicat hunc Plutarchi amicum missum esse in insulam remotam asperamque; nam quamquam Plut. longum excursum de hominis tali exilio multati sorte intrusit, tamen *hoc in amicum non cadere* certis verbis c. 12 init. affirmat ('ἀλλὰ ταῦτα

primus Giesecke diligentissime disseruit.[1]) Concedo sane in hoc libello componendo Chaeronensem etiam alios auctores inspexisse: Empedoclem[2]), Pythagoreos[3]), Platonem; prae ceteris autem secutus esse videtur familiae cynicostoicae — liceat barbara hac voce uti — scripta illa aetate vulgatissima.[4]) At haec missa faciamus;

μὲν . . . πρὸς ἐκείνους λέγωμεν . . . οἷς εἰς νῆσον ἀπῳκισμένοις etc., *σοὶ δ' οὐχ ἑνὸς δεδομένου μόνου, ἀλλ' ἀπειρημένου τόπου, πασῶν ἐστιν ἐξουσία πόλεων ἡ μιᾶς κώλυσις*'). Eidem amico dedicatus esse videtur alius liber Plutarcheus satis memorabilis cui titulus est '*Παραγγέλματα πολιτικά*'. Qua dissertatione Chaeronensis Menemachum amicum (c. 1 init.; c. 13, 809 A et saepius) Sardianum (c. 17, 813 E; c. 32, 825 D) qui reipublicae munera adire volebat (c. 1, 798 B) edocet, quomodo optime officia publica exsequi possit. Nonne satis probabile est Menemachum postea, cum Plutarchi praecepta non secutus esset, Sardibus eiectum esse? Accedit quod vel causa cur hoc factum sit indicari potest: cf. enim 'De exilio' c. 12, 604 B '*οὐδὲν οὖν μέλει ἡμῖν, ὅστις ὁ κεκληρωμένος τὴν ἐπαρχίαν ἐστίν, εἰ ἀκράχολος, εἰ ἐπαχθής*', quae verba in ipsius Menemachi sortem cadere videntur; nam Asiae proconsul etiam in Praeceptis ger. rei publ. ut homo iracundus commemoratur nec non Plut. Menemachum saepius admonet, ne Romanorum eorumque magistratuum iram incitet (c. 10, 805 AB; c. 17, 813 EF sq.; c. 18; c. 19; c. 32, 824 E sq.). — Praeterea commemorandum est et Menemachum et amicum ad quem libellus 'De exilio' missus est homines fuisse ditissimos: cf. 'Praec. ger. rei publ.' c. 13, 809 A; c. 30 init. 'De exilio' c. 3 fin. et saepius.

Quae cum ita sint, libellus 'De exilio' inscriptus paulo post 'Praecepta gerendae rei publicae' eodem proconsule adhuc Asiam gubernante compositus est, quod factum esse haud ita multo post Domitiani mortem, cum Plut. iam senesceret ('Praec. ger. rei publ.' c. 20, 816 D), apparet ex 'Praec. ger. rei publ.' c. 19, 815 D, ubi commemoratur Rhodiorum tumultus '*ἔναγχος ἐπὶ Δομετιανοῦ*' sedatus. Eodem fere tempore conscripta est commentatio 'De capienda ex inimicis utilitate', ubi cf. c. 1 fin. — Ceterum Plutarchum de Sardianorum rebus bene edoctum fuisse exponit Volkmann, Plutarch I p. 62 sq.

1) In dissertatione quae inscribitur 'De philosophorum veterum quae ad exilium spectant sententiis' bonae frugis plenissima: cf. p. 59 sq. 62 sq. Nec vero in omnibus Gieseckii viam probare possum.

2) Cf. Giesecke l. l. p. 97 sq. Ceterum nescio an Plut. omnia Empedoclea sua quibus scatet Epicureis debeat. Lucretium de Empedoclis commentis optime edoctum fuisse decantatum est. Colotes Epicureus Empedoclem impugnavit (cf. Plut. Adv. Colot. c. 3 med. 10. 11. 12. 28 init.) et Hermarchus Epicureus viginti et duo libros contra Empedoclem scripsit (Laert. Diog. X 25): cf. J. Bernays, Theophrasts Schrift von der Frömmigkeit p. 8 et p. 140.

3) Cf. Duemmler, Akademika p. 277.

4) Duemmler, Akademika p. 87 dicit: 'Auf beste kynische Quellen geht Plutarchs Schrift '*περὶ φυγῆς*' zurück.' Idem censet Hense Rh. M. 45, 551. Nuperrime Henricus Weber 'De Senecae philosophi dicendi *genere Bioneo*' 1895 p. 7 Duemmleri coniecturam, quasi extra dubita-

maioris momenti est quod liber 'De exilio' tam saepe cum commentatione 'De tranquill. an.' congruit ut nostro iure illa disputatiuncula uti possimus ad ea supplenda quae ex hoc libro lucrati sumus.

Sic statim in capite 1 adumbrantur fusiusque exponuntur eaedem sententiae quas 'De tranquill. an.' 20 fin. invenimus, ubi vetamur amicorum nos consolantium verba neglegere, cum auctor hoc modo homines nimis lugentes castiget: '*οὐδ' ἑτέρων παρακαλούντων προσδέχονται λόγον*' (sc. infelices). Cf. 'De exilio' 1 init.: '*τῶν λόγων ἀρίστους καὶ βεβαιοτάτους ὥσπερ τῶν φίλων φασὶν εἶναι τοὺς ἐν ταῖς συμφοραῖς παρόντας ὠφελίμως καὶ βοηθοῦντας . . . δεῖ δὲ τὸν παρὰ τῶν φίλων καὶ τῶν βοηθούντων λόγον παρηγορίαν εἶναι μὴ συνηγορίαν τοῦ λυποῦντος.*'[1]) In eis quae sequuntur accuratius enarratur quae amicorum consolationes inutiles sint, nimirum si sint '*συνδακρυόντων καὶ συνεπιθρηνούντων ὥσπερ χορῶν τραγικῶν*' non '*παρρησιαζομένων*' etc., quoniam ineptum sit '*τοῖς ἔξωθεν συναχθομένοις καὶ συναγανακτοῦσι διδασκάλοις χρῆσθαι τῆς λύπης*'.[2])

Si recte supra sententiarum nexum restituimus, affinia sunt haec de amicorum consolationibus prolata eis quae 'De tranquill. an.' c. 17 exponuntur, ubi remediorum illorum quattuor contra fortunam casusque utilium tria indagavimus. Uti 'De tranquill. an.' c. 17, 18, 19, sic etiam 'De exilio' 1 redit vox '*τὰ πράγματα*' ad externas res significandas usurpata, ut ibi sic etiam hoc loco res adversae '*τὰ ἀβούλητα*' nuncupantur. — 'De tranquill. an.' 17 init. legimus: '*τὸ λυποῦν*', 'De exilio' l. l. '*τὸ λυπεῖσθαι*'. 'De tranquill. an.' l. l. exstant haec: '*ἐπεὶ . . . τὰ δὲ πλεῖστα* (sc. *ἀβούλητα*) *δόξῃ δυσχεραίνειν ἐθιζόμεθα καὶ μανθάνομεν, οὐκ ἄχρηστόν ἐστι πρὸς ταῦτα μὲν ἔχειν ἀεὶ τὸ τοῦ Μενάνδρου πρόχειρον·*

tionem sit, accepit. At admodum miror quod Gieseckii liber qui iam pridem hanc Plutarchi disputatiunculam ad Bionem Borysthenitam referre conatus est Weberum prorsus fugit; nam permulta quae sibi indagasse videtur iam Giesecke satis luculenter exposuit. Equidem haec de Bione commenta accipere nequeo, qua de re alia occasione me disputaturum esse spero. Haud pauca in libello 'De exilio' insunt quae cum Musonii Stoici reliquiis concinunt (cf. Giesecke, l. l. p. 32—56; Weber p. 7, adn. 5), id quod aliter explicare non possum, nisi quod uterque philosophus ratiocinationibus similibus illa aetate pertritis usus sit.

1) Quibuscum verbis Giesecke non recte 'De tranquill. an.' 1, 465 A confert; nam ibi non '*βοηθικῆς*' sed '*βιωτικῆς*' traditum est.

2) Non assentior Gieseckio ad 'De tranqu. an.' 7, 468 D respicienti, ubi Stoicorum de misericordia doctrina paucis repetitur.

'οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ',

τί γὰρ πρὸς σέ ἐστι, φησίν, ἂν μήτε σαρκὸς ἅπτηται μήτε ψυχῆς;' quae omnia inde a voce 'οὐδέν' Menandri esse unicus Bernardakis recte perspexit — fragmentorum contra editores et Gieseckium fugit; Menandrea igitur tota sententia est secundum quam nihil pro malo habendum est quod nec corpus tangit hominis nec animum.

Eosdem huius comici versus Plut. etiam 'De exilio' c. 1, quod caput tam arcte conspirare cum libri 'De tranquill. an.' capite 17 iam vidimus, affert et paulo copiosius illustrat, et ad Menandrum forte etiam redit quod 'τὰ πράγματα' et 'ὁ λόγος' quasi personata in publicum prodeunt et caro animusque ipsi interrogantur numquid mali acceperint; Aristo Stoicus cui Giesecke (p. 111) haec omnia assignare studet ista commenta sine dubio non excogitavit. — Porro animadvertas, quaeso, Chaeronensem certa ratione his versibus Menandreis operam dare ut totius capitis 17 indolem etiam 'De exilio' c. 1 comprobet, cum utroque loco evincat plerasque calamitates non 'φύσει' sed 'δόξῃ' mala nobis videri, et uti 'De exilio' c. 1 'τὸ λυπεῖσθαι καὶ τὸ ταπεινοῦν ἑαυτόν' nuncupat 'γιγνόμενον κενῶς καὶ ἀνοήτως' sic similem in modum 'De tranquill. an.' 18 fin. voces 'τὸ κατεψευσμένον καὶ διάκενον' usurpare.

At transeamus ad consolationis 'De exilio' c. 2, ubi Plut. accuratius comprobare studet permulta 'συμπτώματα' non nisi vana opinatione mala nobis videri, id quod, cum Gieseckium fugerit, paucis perscrutari opus est. 'De tranquill. an.' c. 17 inter incommoda quae nihil valent ad beatitudinem tollendam invenimus haec: δυσγένεια πατρός, μοιχεία γυναικός, στεφάνου τινὸς ἢ προεδρίας ἀφαίρεσις — contra νόσοι καὶ πόνοι καὶ θάνατοι φίλων καὶ τέκνων, quo accedit ex capitis 18 fine φυγή, agnoscuntur uti 'φύσει δοκοῦντα λυπεῖν'. Iam evolvamus 'De exilio' c. 2, ubi habemus φυγὰς καὶ ἀδοξίας (cf. 'De tranquill. an.': δυσγένεια πατρός) καὶ τιμῶν ἀποβολάς, quibus malis Plut. opponit στεφάνους (cf. 'De tranquill. an.': στεφάνου … ἀφαίρεσις) καὶ ἀρχὰς καὶ προεδρίας, cui ultimae voci 'De tranquill. an.' l. l. iterum respondet quam maxime προεδρίας ἀφαίρεσις.

Nec silentio praeterire licet quod simili ratione auctor in utroque libro ratiocinationes suas versibus Euripideis amplificat et exornat; et cum 'De exilio' c. 2 exponit nostrum esse quid pro iucundo quidque pro iniucundo habere velimus ('ἡ ψυχὴ τοῖς πράγ-

μασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὐτῆς προστίθησιν'), uno tantum verbo moneam eandem sententiam Plutarchum protulisse 'De tranquill. an.' c. 3, ubi voce 'βαρύνονται' utitur (p. 466 C), c. 6 et saepius. Vox 'βαρῦνον' usurpatur c. 17 init.

'De tranquill. an.' 17 et 18[2] Plutarchum vera et ficta mala enucleate divisisse supra vidimus, eademque divisio exstat 'De exilio' 3 init., ubi a 'δόξῃ' malis transgressus fit ad 'φύσει' mala his verbis: 'ἔστω δὲ δεινόν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ λέγουσι καὶ ᾄδουσιν, ἡ φυγή', quibuscum conferas 'De tranquill. an.' 18 fin., ubi exilium inter vera mala enumeratum nobis iam occurrit.

Quae ad mala quae primo obtutu tolli non possunt debilitanda Plut. praecipit, ut suavia quae nobis relicta sunt quam maxime urgeamus et cum malis commisceamus hoc modo incommoda tenuantes et liquefacientes.

Haec omnia fere ad verbum redire 'De tranquill. an.' 5 fin., 8, 14, 15 singulis comprobare liceat.

'De exilio' l. l. Plut. duas adhibet similitudines a cibis dulcibus amarisque et a coloribus acribus temperatisque petitas, quorum utrorumque 'ἀηδίαν' et 'σκληρότητα καὶ βίαν ἀνίατον' delere possimus dulcibus ad amara admixtis. Eandem plane similitudinem redire 'De tranquill. an.' 8, 469 A Giesecke (p. 60) recte perspexit. Cf. e. g. 'De exilio': 'μιγνύντες αὐτοῖς ἔνια τῶν γλυκέων καὶ προσηνῶν τὴν ἀηδίαν ἀφαιροῦμεν' — 'De tranquill. an.': 'ἀγαθὸν ... μιγνύντας ἐξαμαυροῦν (cf. 'De exilio': 'μαραυγεῖν') τὰ χείρονα τοῖς βελτίοσι.' 'De exilio': 'εἰ .. τὴν ὄψιν ἀπεστρέψαμεν ἐπί τι τῶν χλοερῶν καὶ προσηνῶν, τοῦτ' ἔξεστι ποιεῖν καὶ πρὸς τὰ συμπτώματα' (eandem vocem habes 'De tranquill. an.' l. l.). 'De tranquill. an.': 'τὰς μὲν ὄψεις ὑπὸ τῶν ἄγαν λαμπρῶν τιτρωσκομένας ἀποστρέφοντες ταῖς ἀνθηραῖς . . χρόαις παρηγοροῦμεν.' — Praeterea 'De tranquill. an.' c. 15, quod caput cum capite 8 artissimo filo coniunctum est, simillima similitudo exstat ad colores spectans varios, qua iterum μῖξις bonorum et malorum commendatur.

In utraque igitur commentatione duplex usurpatur similitudo duoque praecepta ex his similitudinibus deducuntur: misce bona ad mala ('De tranquill. an.' c. 15; cf. etiam c. 5 fin.), detorque oculos ab iniucundis ad iucunda (c. 8). At 'De exilio' l. l. haec duo praecepta coniuncta sunt, uti iterum manifestum fiat genuinum sententiarum nexum in libello 'De tranquill. an.' dissolutum esse, *interpositis capitibus* 9—13, servatum contra in libello 'De exilio' *disputante.*

Unica est differentia quod in libello 'De exilio' ab istis similitudinibus transitus fit ad ipsam rationem qua hominem fortunae casus accipere deceat, contra in libello 'De tranquill. an.' similitudines hoc consilium sequuntur, uti eis tantum stabiliatur. — At haec differentia stili est, cum Chaeronensis commentarios quos expressit nimirum, prout occasio se offerebat, variaverit. Animadvertendum etiam est quod Menemachus vituperatur, quod non curet '*τὰ χρήσιμα τῶν παρόντων*', cui sententiae optime respondet 'De tranquill. an.' c. 8, 469 A et B, ubi iterum habes voces *πάρεστιν* et *παροῦσιν*. Cf. c. 14 init. '*παρόντα τὰ χρηστά*'.

Accedit quod vel singula verba in utraque quaestiuncula concordant: habes *συμπτώματα*, *μιγνύναι*, *ἀποστρέφειν*, *ὄψιν* (vide supra), *προσηνῶν* — *προσηνῆ*, *προσηνῶν* (c. 15), *μαραυγεῖν* — *ἐξαμαυροῦν*, *ἀνίατον* — *ἀνιαρῶν*. 'De ex.': *ἀηδῶν* — 'De tranquill. an.' c. 15 init.: *ἀηδῶν*. c. 8 init.: *ἀηδῆ*.[1])

Pari modo libelli 'De exilio' proximum caput (c. 4) cum libro 'De tranquill. an.' arctissime conectendum est.

In capitis initio Plut. nos admonet ut '*φιλοσόφως*' contra fortunam nos accingamus; nonne hoc in memoriam tibi revocat 'De tranquill. an.' capp. 17 et 18, ubi '*δόξαι τε χρησταὶ καὶ μαθήματα*' ut summum tranquillitatis adminiculum commendantur et '*ὁ τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν ἁμωσγέπως ἐπινοῶν*' ut homo a quocumque casu tutus celebratur?

Nec ea quae sequuntur neglegenda esse Giesecke recte perspexit[2]); nam et sententiae et verba repetita fere sunt ex capite 3 et ex libri 'De tranquill. an.' capitibus 5, 8, 14, 15 (redeunt voces: *ἀνιαροῖς*, *χρήσιμα*, *τὰ χείριστα τῶν ἰδίων* = 'De tranquill. an.' 9, 469 B: *τὰ κάκιστα τῶν ἰδίων*). Iubet auctor in hoc capite homines bonis quae praesto forte sint (*τὰ παρόντα*) ratione et prudentia uti, quod consilium optime concinit cum dissertationis 'De tranquill. an.' capitibus 9 et 16. Usurpat autem voces ex elatiore stilo petitas ut '*ἀναζωπυρεῖν*' et '*ἀναθάλπειν*', quibuscum conferas 'De tranquill. an.' 15, 473 F: '*ἀναπνεῦσαι*'.

Maioris autem momenti est similitudo de cucurbitulis petita quae 'De exilio' l. l. exstat, ubi cucurbitulis quae '*τὸ φαυλότατον ἐκ τοῦ σώματος ἀναλαμβάνουσαι κουφίζουσι καὶ σῴζουσι τὸ λοιπόν*' opponuntur '*οἱ φιλόλυποι καὶ φιλαίτιοι*' qui '*τῷ τὰ*

1) Haec omnia quae exposui apud Gieseckium desunt.

2) Cum verbis quae sequuntur '*ἐν ᾧ μάλιστα καιρῷ βοηθεῖν πέφυκε*' cf. '*De* tranquill. an.' 14, 473 C med.

χείριστα συνάγειν ἀεὶ καὶ διαλογίζεσθαι καὶ προστετηκέναι τοῖς ἀνιαροῖς ἄχρηστα καὶ τὰ χρήσιμα ποιοῦσιν ἑαυτοῖς'.[1])

Eadem comparatione noster utitur 'De tranquill. an.' c. 8, at ratione plane diversa; nam ibi cucurbitulas non laudat, sed stultum hominem cum eis comparat his verbis eum allocutus: '*ὥσπερ αἱ σικύαι τὸ χείριστον ἐκ τῆς σαρκὸς ἕλκουσιν, οὕτω τὰ κάκιστα τῶν ἰδίων συνάγεις ἐπὶ σαυτόν*'. Qua ex differentia satis apparet Plutarchum non ipsum hanc similitudinem, quae etiam tertio loco ('De curiositate' 6, p. 518 B) exstat, sibi excogitasse sed in collectaneis suis invenisse et alio loco aliter transformasse. Hoc eo facilius tibi persuadebis, si perspexeris etiam finem capitis 4 ex eodem auctore atque commentationis 'De tranquill. an.' longe maiorem partem depromptum esse (cf. Giesecke p. 61): dico Homeri illam de duobus doliis in Iovis limine positis narratiunculam quam a veritate longe aberrare Plut. et 'De exilio' l. l. et 'De tranquill. an.' c. 14 contendit, quia '*ἕκαστος ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς εὐθυμίας καὶ τῆς δυσθυμίας ἔχει ταμιεῖα*'; eandem sententiam pari ratione 'De tranquill. an.' c. 4 fin. explicari supra (p. 58) vidimus.

Accedit quod 'De tranquill. an.' 14 inter se comparantur *οἱ ἀνόητοι* et *οἱ φρόνιμοι*, c. 5 fin. *οἱ ἀπαίδευτοι* et *οἱ φρόνιμοι*, nec aliter 'De exilio' sibi opponuntur *οἱ νοῦν ἔχοντες* et *οἱ πολλοί* quae voces idem fere significant atque *οἱ ἀνόητοι*.

Etiam causas propter quas minor pars hominum sapiens, longe maior stulta nuncupanda sit in utroque libro plane easdem esse idem Giesecke accuratius demonstravit. Praeter ea quae hic homo doctus attulit, quam affinia sint 'De exilio' c. 4 et 'De tranquill. an.' c. 8 etiam his comprobari potest: 'De exilio' homines '*φιλόλυποι*' vituperantur propter '*τὸ ἀεὶ διαλογίζεσθαι καὶ προστετηκέναι τοῖς ἀνιαροῖς*' — et simillima ratione 'De tranquill. an.' 8, 469 B, quia '*προσβιαζόμεθα τοῖς τῶν ἀνιαρῶν ἐνδιατρίβειν ἀναλογισμοῖς*', quo loco antecedunt verba: '*τὴν δὲ διάνοιαν ἐντείνομεν εἰς τὰ λυπηρά*', sequuntur autem haec: '*μονονοὺ βίᾳ τῶν βελτιόνων ἀποσπάσαντες*'. Ergo in utraque dissertatione auctor eadem fere vi et ardore in eos invehitur qui cogitationes suas a bonis ad mala deflectunt.

'De exilio' l. l. legimus: '*ἀναλαμβάνουσαι κουφίζουσι*', quo cf. 'De tranquill. an.' c. 8, 469 C med.: '*ἀνακουφίζειν*', c. 15 fin.: '*ἀναλαμβάνοντες*'. 'De tranquill. an.' 14 dicit auctor: '*οἱ ἀνόητοι*

1) *Aristonis* hanc similitudinem esse conicit causis satis vilibus *Hense, Rh. M. 45*, 560. A Gieseckio Bioni tribuitur.

παρόντα τὰ χρηστὰ παρορῶσι' (cf. c. 8, 469 A ubi pari ratione homines bona sibi reliqua non satis aestimantes perstringuntur); 'De exilio' l. l. contendit: 'τοῖς πολλοῖς ὥσπερ ἠθμοῖς ἐμμένει καὶ προσίσχεται τὰ φαυλότατα, τῶν βελτιόνων ὑπεκρεόντων', cui similitudini admodum affinis est ea quae 'De tranquill. an.' 15 init. de culicibus usurpatur qui 'ταῖς τραχύτησι προσέχονται καὶ ταῖς ἀμυχαῖς'. — 'De exilio' c. 4 fin. habes 'ὑπεκρεόντων', 'De tranquill. an.' l. l. 'ἀπορρέοντες' et c. 14 fin. 'ὑπεκρεῖν'. — 'De exilio' 'τὰ φαυλότατα' opponuntur 'τοῖς βελτίοσιν' uti 'De tranquill. an.' 'τὰ χείρονα τοῖς βελτίοσι'.

E contrario sapientes in libello 'De exilio' praedicantur, quia 'ἐκ τῶν ἀγαθῶν τοῖς κακοῖς ἐπαρυτόμενοι τὸν βίον ποιοῦσιν ἡδίω καὶ ποτιμώτερον' (cf. 'De tranquill. an.' 8, 469 C: 'τὰ χρηστὰ καὶ πότιμα'), quam commixtionem in libri 'De tranquill. an.' capitum saepius pertractatorum indolem optime quadrare satis superque demonstravimus.

E. g. idem 'μῖγμα' requiritur c. 8 init., c. 15, 473 F et 474 B, ubi legimus: 'δεῖ ... ἀμβλύνοντας ἀεὶ τοῖς κρείττοσι τὰ φαῦλα (cf. c. 8 init.) καὶ τὰ χείρονα τοῖς χρηστοῖς (quae vox iam saepius nobis innotuit) ἐμπεριλαμβάνοντας ἐμμελὲς τὸ τοῦ βίου μῖγμα ποιεῖν καὶ οἰκεῖον αὐτοῖς', quae verba iterum libelli 'De exilio' capitis 4 exordium in mentem revocant. Similis ceterum mixtio requiritur 'De tranquill. an.' c. 11 fin., ubi praeter voces 'τὰ οἰκεῖα' verbum 'ἀπαρύτειν' notandum est (cf. 'De exilio' l. l.: 'ἐπαρυτόμενοι').

Ista commixtio Chaeronensi necessaria videtur, quia 'τῶν ἀνθρωπίνων καθαρὸν οὐδὲν οὐδ' ἀμιγές' ('De tranquill. an.' 15, 474 A); nonne idem fere exprimitur libri 'De exilio' his verbis: 'μεθιεὶς τοῖς μὲν ἤπια καὶ μεμιγμένα τοῖσ δ' ἄκρατα ῥεύματα τῶν κακῶν'?

Tota haec de commixtura bonorum et malorum deliberatio capitis 5 primis verbis breviter repetitur: 'ἐπάγεσθαι δεῖ τὸ ἱλαρὸν καὶ τὸ εὔθυμον ἐκ τῶν ὑπαρχόντων καὶ ὑπολειπομένων ἀγαθῶν, τῷ οἰκείῳ τἀλλότριον ἐκλεαίνοντας', quibus in verbis iam una vocula 'εὔθυμον' nos reicit ad commentationem supra illustratam cui titulus est 'περὶ εὐθυμίας', ubi adiectivum εὔθυμος invenimus c. 2, 465 D (εὐθυμοτέρας) et in eiusdem capitis fine (τὸ εὔθυμον). 'Ἱλαρῶν' exstat 'De tranquill. an.' 15 init., 'ἱλαρῶς' c. 8, 469 A; 'οἰκεῖον' cum alias tum 'De tranquill. an.' 4, 467 A; 5 init. et fin.; 15, 474 B. — Vox 'τἀλλότριον' redit etiam in versu comico (Kock III p. 476) qui 'De tranquill. an.' 8, 469 B

laudatur. 'ὑποκείμενα' habes 'De tranquill. an.' 8, 469 C. Cf. etiam c. 12 init.: 'πρὸς τὴν ὑποκειμένην δύναμιν'. Ad verba '*ἐπάγεσθαι* δεῖ τὸ ἱλαρόν' conferre licet 'De tranquill. an.' 8, 469 B: 'ἀγαθοῖς παροῦσιν οὐ *προσάγεις* τὴν διάνοιαν'.

Iam novas excitant quaestiones prima capitis 5 verba supra omissa: 'κἂν *ἀληθῶς* κακῷ τινι καὶ λυπηρῷ περιπέσωμεν', quibus in eis quae sequuntur respondent verba: 'ὧν δ' ἡ φύσις *οὐδὲν* ἔχει κακόν, ἀλλ' ὅλον καὶ πᾶν τὸ λυποῦν ἐκ κενῆς δόξης ἀναπέπλασται, ταῦτα δεῖ, καθάπερ τοῖς δεδοικόσι τὰ προσωπεῖα παιδίοις ἐγγὺς καὶ ὑπὸ χεῖρα ποιοῦντες . . . ἐθίζομεν καταφρονεῖν, οὕτως ἐγγὺς ἁπτομένους καὶ συνερείδοντας τὸν *λογισμὸν* τὸ σαθρὸν καὶ τὸ *κενὸν* καὶ τὸ τετραγῳδημένον *ἀνακαλύπτειν*.' Eadem igitur 'φύσει' et 'δόξῃ' malorum divisio nobis se offert quam in capitibus 1 et 2 indicavimus. Redit in capite 1 vox 'κενῶς'; ibidem ad voces 'λογισμός' et 'ἀνακαλύπτειν' arridet '*λόγος*' quo 'ψηλαφηθέντα καὶ *ἀνακαλυφθέντα*' ipsa 'τὰ πράγματα' loquentia in scenam prodeunt.

At multo dilucidius quam ex capitibus 1 et 2 ex hoc capite 5 manifestum fit haec commenta ex eodem commentario deprompta esse atque 'De tranquill. an.' 17 et 18 fin., qua de re vide Gieseckii libelli p. 61, cuius quaestioni nonnulla addenda sunt, cum ad c. 18 tantum respexerit. — 'Τὸ λυποῦν' invenimus etiam 'De tranquill. an.' 17 init. cum voce 'βαρῦνον' coniunctum (v. supra p. 76). 'De exilio' l. l. habes '*ἐθιζόμεν* καταφρονεῖν' — 'De tranquill. an.' l. l. 'δυσχεραίνειν *ἐθιζόμεθα*', nec non Gieseckium fugisse videtur voci 'τετραγῳδημένον' satis abundanti respondere 'De tranquill. an.' 18 fin. vocem 'κατεψευσμένον'. Eodem loco redeunt voces 'σαθρόν' et 'διάκενον' ('De exilio' l. l.: κενόν); maioris autem est momenti, quod utroque loco plane eadem sententia enarratur secundum quam ratio mala quae videntur aggressa perfacile vincit. Cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'γλυκυθυμία τῆς ψυχῆς . . . νόσον καὶ πόνον καὶ φυγῆς μελετῶσα φαντασίαν ὑφίστασθαι καὶ *προσβιαζομένη τῷ λογισμῷ* . . . εὑρήσει πολὺ τὸ *κατεψευσμένον* καὶ *διάκενον* καὶ *σαθρὸν* ἐν τοῖς *δοκοῦσι* χαλεποῖς καὶ φοβεροῖς' = 'De exilio' l. l.: 'δεῖ . . . ἐγγὺς *ἁπτομένους καὶ συνερείδοντας τὸν λογισμὸν* τὸ *σαθρὸν* καὶ τὸ *κενὸν* καὶ *τετραγῳδημένον* ἀνακαλύπτειν', sc. eorum quorum 'τὸ λυποῦν ἐκ κενῆς *δόξης* ἀναπέπλασται.'

In eis quae sequuntur Plut. de exilio verba facit, quod verum esse malum negat. Haec sententia adaptata est ad totius consola-

tionis indolem, nec nostra interest argumenta partim Stoica partim Cynica partim Academica accuratius examinare, quibus auctor ad liquidum deducere studet 'φύσει' nullam esse patriam (cf. c. 5, 600 E).

Nec vero uno tantum verbo totam hanc quaestionem missam facere possumus; nam in communi commentario e quo uterque libellus a nobis percensitus effluxit etiam de exilio agebatur; sed ibi exilium inter 'φύσει συμπτώματα' relatum esse 'De tranquill. an.' c. 18 fin. docetur.

At satis habeo demonstrasse eundem commentarium et eadem collectanea utrique disputationi subesse tantumque abesse, ut altera pendeat ab altera, ut in utroque libro componendo Plut. manifesto ipsum fontem adierit alterque ex altero augendus et supplendus sit. Accedit quod vel commentarii genuini forma in utroque scripto servata videtur. E. g. simillimas similitudines et 'De tranquill. an.' et 'De exilio' deprehendimus; in utroque volumine sapientis ratio hominis inepti pravis actionibus et cogitationibus opponitur.

Attamen negari nequit fontem primarium in his duabus commentatiunculis admodum perturbatum esse, et in libello 'De exilio' quidem maxime in ea parte qua verorum et fictorum malorum divisio continetur. In eiusdem libri capitis 5 initio breviter ea comprehenduntur quae multo fusius exponuntur 'De tranquill. an.' 17 et 18 fin. Quae cum ita sint, etiam argumento plane aliunde petito certissime probatur libri 'De tranquill. an.' cpp. 17 et 18 arctissima necessitudine inter se coniuncta esse, quippe quorum summa libelli 'De exilio' capitis 5 initio contineatur, uti in hac re commentatiuncula 'De exilio' propius ad communem auctorem accedat quam dissertatio 'De tranquill. an.' inscripta.

Nec minoris momenti est quod amicitiae vis, quoad ad 'εὐθυμίαν' pertinet, in scripto 'De tranqu. an.' perpaucis tantum verbis illustratur, contra in libro de quo agimus paulo accuratius per singula adumbratur, quamquam Plut. amicorum consolationibus haud multum tribuit et hominibus 'καθ' αὑτούς' mala impugnare suadet, quo spectant tria alia tranquillitatis adminicula supra enodata.

Iam adnotavi deliberationem ad diversa mala spectantem in libello 'De exilio' non continuam exstare, sed capitibus 3—5, 600 D interruptam esse alia illa sententia qua edocemur, quo modo in malis forte gravioribus versantes ea bonis admixtis tenuare possimus. Easdem ratiocinationes — at multo pleniores — iam indagavimus 'De tranquill. an.' 4, 5, 8, 14, 15, ut iterum libri 'De exilio' brevi compressione evincatur — id quod supra alias ob

causas suspicati sumus — capita 4 et 5, 8, 14, 15 in genuino commentario a Plutarcho expresso uno continuoque nexu se excepisse, qui in libro 'De exilio' in universum adhuc servatus est. Pauca tantum aliunde inserta sunt: dico c. 3 fin., ubi Plut. ipsum amicum quem consolaturus est alloquitur et c. 4 initium, quod rhetoricis causis permotus ex collectaneis suis in genuinum sententiarum ordinem intrusit.

Quae restant haec fere sunt: contra mala in quae incidimus necessarium est omnes res bonas iucundasque quae nobis manserunt tenere (c. 3) et secunda solum, non adversa respicere, cum stulti tantum homines in tristibus rebus haereant itaque vel dulcia amara sibi reddant; unice penes nos esse diiudicare quid bonum quidque malum sit, non penes Iovem seu fortunam, quoniam commixtionem illam adhibere nobis semper liceat (c. 4). Quae omnia c. 5 init. denuo breviter comprehenduntur.

Eodem plane modo 'De tranquill. an.' l. l. sententiae progrediuntur, cum Chaeronensis praecipiat ut bona ad mala admisceamus, hoc modo vel intolerabilia quae videntur tolerabilia reddentes; stultum solum semper mala in animo habere; iudicium de bonis et malis nostrum esse, cum commixtio illa penes nos sit, Plut. docet in capite 14 eadem narratione Homerica atque 'De exilio' c. 4 fin. reprobata.

At 'De tranquill. an.' c. 14^2, 15 auctor istas deliberationes amplificat, cum demonstrat ne bona quidem praeterita inutilia esse, sed recordationem eorum multum valere ad tranquillitatem parandam.

Quae commenta 'De exilio' l. l. omisit, videlicet quia non opus eis erat ad ea quae in hac quaestiuncula comprobare volebat; nec vero dubitari potest quin etiam in Plutarchi fonte exstiterint.

Iam animadvertendum est 'De tranquill. an.' 15 fin. post versum Menandreum totum harum cogitationum argumentum breviter repeti eodem paene modo atque 'De exilio' 5 init. Quae cum ita sint, non solum in universum sententiae sed etiam eadem compositionis structura, eidem versus poetarum, eaedem similitudines, eadem fere verba singularia, eadem sapientis et stulti comparatio, denique eadem totius argumenti iteratio in utroque libro redeunt, quibus omnibus argumentis cum ex indole tum e stilo petitis certe evincitur communem esse horum duorum scriptorum fontem.

Cui non obstat quod in libello 'De tranquill. an.' tota quaestio multo fusius explicatur, in libello 'De exilio' contra paucis tantum verbis; nam quamquam ex illo libro multo plura lucramur, tamen *in hoc* sententiarum ordo, in altero dilaceratus, longe fidelius ser-

ratus est. E. g. similitudines ad '*βρώματα*' (c. 3) et ad Iovis dolia (c. 4) spectantes in hoc libro accuratius ex communi commentario depromptae sunt, nec dubito quin ibidem comparatio a cribris petita ex eodem auctore assumpta sit, cum in singulis cum aliis quae excussimus bene concordet.

De similitudine ad cucurbitulas spectante iam supra verba feci (cf. p. 79) et persuasum habeo eam in libro 'De tranquill. an.' fidelius servatam esse, cum pari modo atque hoc loco etiam 'De curios.' 6 in malam, non, ut paulo artificiosius in libro 'De exilio', in bonam partem conversa usurpetur.

In proximis disputatiunculae 'De exilio' capitibus Plut. varios consolationum *τόπους* quos Graeci dicunt, quoad attinent ad exilium, perlustrat, ut amici maerorem minuat. Redolet haec pars Stoicorum Cynicorumque, quorum commenta Plutarchi aetate admodum coaluerant, doctrinam

Ad nostram rem caput 8 pertinet, cuius prima verba sententiam exprimunt nobis satis notam; dicit enim auctor: '*ἂν γὰρ σκοπῇς ἄνευ κενῆς δόξης τὴν ἀλήθειαν.*' — Accedit aliud. 'De tranquill. an.' 4 Chaeronensis hominis nescio cuius enuntiatum refutat qui contenderat: '*ἡ συνήθεια ποιεῖ τοῖς ἑλομένοις τὸν ἄριστον βίον ἡδύν*'; nam Plutarchi ex sententia non consuetudo sed unum '*τὸ φρονεῖν*' vitam beatam reddit. Contra 'De exilio' l. l. auctor hoc consilium '*καλόν*' nuncupat Pythagoreis id tribuens, qua in re eo magis ei fidem habere possumus quod cum alias noster Pythagoreorum '*παραγγέλματα*' saepius in publicum vocat, tum 'De exilio' c. 8 genuina huius dicti forma servata est ('*ἑλοῦ βίον ἄριστον, ἡδὺν δ' αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει*').[1])

In eis quae sequuntur hominis publicis negotiis dediti mala condicio depingitur, petitique sunt colores maxima ex parte ex imperii Romani statu. Addenda sunt c. 11, 603 F, ubi exul praedicatur, quia tutus sit a sycophantis nec quisquam eum '*συνεχαιρεσιάσαι*' iubeat, et c. 12, 604 B, ubi ei qui queritur: '*οὐκ ἄρχομεν οὐδὲ βουλεύομεν οὐδ' ἀγωνοθετοῦμεν*' obicitur: '*οὐ στασιάζομεν* (cf. c. 8) *οὐδ' ἀναλίσκομεν οὐδὲ προσηρτήμεθα θύραις ἡγεμόνος*'. Etiam haec adaptata sunt ad Graecarum provinciarum — maxime Asiae — imperatoria aetate condicionem; nam nemo est quin sciat, quid illis temporibus agonothetae munus non tam vi quam dignitate valuerit.

1) cf. Natorp, Die Ethika des Demokrit p. 91, adn. — 'De sanitate tuenda' c. 3, 123 C hoc enuntiatum ad corpus refertur, ut 'De exilio' l. l. ad exilium.

Nec vero in universum istae deliberationes apud Plutarchi auctorem deerant; nam recogita, quaeso, nostrum 'De tranquill. an.' c. 2 se accingere contra virum quendam qui homines tranquillitatem appetentes rei publicae muneribus operam dare vetuerat; praeterea Giesecke (p. 62) optime respicit ad eiusdem libri c. 10 fin., ubi eandem plane atque 'De exilio' c. 12 oppositionem habes: '*ὅταν ἀκούσωμεν ἑτέρου λέγοντος, ὡς μικρὰ τὰ καθ' ἡμᾶς πράγματα καὶ λυπρὰ δεινῶς, μὴ ὑπατευόντων μηδ' ἐπιτροπευόντων* (simillime 'De exilio' l. l. homines male contenti introducuntur) *ἔξεστιν εἰπεῖν* (cf. 'De exilio': '*τῷ 'οὐκ ἄρχομεν ...' ἀντίθες τὸ'* etc.)· *οὐ προσαιτοῦμεν, οὐκ ἀχθοφοροῦμεν, οὐ κολακεύομεν'* (cui ultimae voci respondet 'De exilio': '*οὐ προσηρτήμεθα θύραις ἡγεμόνος*'. Cf. etiam 'De tranquill. an.' 3, 466 C '*προαγωγὰς ἐν αὐλαῖς διώκουσι*').

Habes igitur in utroque libello in altera oppositionis parte tria membra; etiam in priore parte in libro 'De exilio' tria, in libro 'De tranquill. an.' contra duo tantum membra exstant.

Quae cum ita sint, certus iste querelae et consolationis oppositus in utraque commentatione fortuito servatus esse nequit, sed ex fonte aliquo necessario depromptus est, in quo idem fere fingebatur dialogus stulti qui aegre fert quod a magistratu honoribusque publicis remotus sit et sapientis qui illum consolatur. Praeterea animadversione dignum est quod utroque loco is qui alteri respondet prima persona loquitur, idemque facit 'De exilio' l. l. etiam is qui rei publicae officiorum amissionem deplorat, uti duas ob causas (cf. supra) Plut. in hac disputatiuncula accuratius quam in libro 'De tranquill. an.' auctorem suum excerpsisse videatur.

Quae omnia si complectimur, id certe constat iam Plutarchi auctorem docuisse ineptum esse publicis muneribus amissis dolori se dedere, eidemque videtur viva forma deberi, qua stultus et sapiens in scenam prodeunt et ut in dialogo inter se colloquuntur; contra, quod attinet ad singula, Plutarchi ipsius ingenium sapimus, cum fontis sui indolem adaptarit ad suae aetatis Romanique imperii statum et ad Menemachi, amici Sardiani in exilium missi, condicionem.

Recurrentibus nobis ad c. 8 tantum commemorare liceat inde a capite 8 usque ad c. 11 longum sequi excursum de exulis in parvam remotamve insulam missi condicione, qui minime quadrat in Menemachi sortem sed eam ob causam a Plutarcho insertus esse videtur, ut amicus intellegat multos exules longe graviore se ipso poena affectos, at ne hos quidem revera infelices esse.

Sed haec missa faciamus et accuratius definiamus, quae sit inter libros nobis ad tractandum propositos necessitudo.

Praeter ea quae iam attuli in capitis 11 initio Zenonis enuntiatum animadvertendum est, quod nobis innotuit etiam 'De tranquill. an.' 6, 475 D, ubi eadem fere verba redeunt: cf. 'De exilio' '*ναῦν μετὰ τῶν φορτίων*' — 'De tranquill. an.' '*ναῦς φορτηγός*'. Zenonis ipsius verba: '*εὖγ', ὦ Τύχη, ποιεῖς, εἰς τρίβωνα καὶ βίον φιλόσοφον συνελαύνουσ' ἡμᾶς*' tam accurate etiam 'De tranquill. an.' l. l. repetuntur (pro '*εἰς βίον φιλόσοφον*' habes ibi '*εἰς τὴν Στοάν*', quod idem fere est), ut ne hoc quidem casui assignare possimus; immo in utroque libro Plutarchum ex eodem auctore hanc narratiunculum arcessivisse eo confidentius contendere audeam quod 'De exilio' l. l. ea non apte quadrat in sententiarum nexum, cum in Zenonis dicto minime de exilio res sit; nec non intrusum id esse ex simillimo sententiarum ordine apparet ex libelli 'De capienda ex inimicis utilitate' eodem fere tempore conscripti (v. supra p. 75, adn.) capite 2, ubi in eodem paene nexu atque 'De tranquill. an.' 6 hoc Zenonis enuntiatum affertur et pecuniae amissioni quam Zeno perpessus est '*πατρίδος στέρησις*', Diogenis exemplo illustrata, opponitur.

Post illum excursum inde a capite 12 iterum exponitur exilium plus afferre boni quam mali homini sapienti.

Quae deliberationes cum libri 'De tranquill. an.' capitibus 4, 5, 8, 14, 15 etc. bene conspirant; nam iterum decantata illa bonorum et malorum commixtio, hoc loco ad exilium conversa, commendatur; cf. enim p. 604 C: '*τῆς φυγῆς πρὸς ἓν μέρος τὸ ἄδοξον ἐντεινόμενοι* ('De tranquill. an.' c. 8: '*ἐντείνομεν*') *παρορῶμεν* ('De tranquill. an.' c. 8: '*παρορᾶν*', c. 14: '*παρορῶσιν*') *τὴν ἀπραγμοσύνην καὶ τὴν σχολὴν καὶ τὴν ἐλευθερίαν*' (c. 2 coniuncta sunt: '*φυγὰς καὶ ἀδοξίας*'; '*ἀπραγμοσύνη*' ut exilii commodum celebratur cum alias tum c. 3, 600 A. '*Σχολήν*' habes etiam 'De tranquill. an.' c. 8 et c. 14). — Nec silentio praeterire licet libelli 'De tranquill. an.' capitis 6 priorem partem, quam in eodem sententiarum nexu atque capita 4, 5, 8, 14, 15 locum tenuisse supra evicimus. Ubi paulo post Zenonis illud enuntiatum is qui — uti Menemachus — '*φιλίαν μνώμενος ἡγεμόνος ἀπώσθη*' praedicatur, quia vivat '*ἀκινδύνως καὶ ἀπραγμόνως*'; idem igitur malum quod plerisque videtur et 'De tranquill. an.' l. l. et 'De exilio' c. 12 fin. eam *maxime ob causam* laudatur, quia otium ad studia philosopha plane *necessarium* ex eo lucremur. Cf. etiam singula: 'De exilio' l. l.

Chaeronensis 'ἐλευθερίαν' laudibus cumulat similique ratione 'De tranquill. an.' eum cui ruri libere vitam suam degere licet. Etiam in ultimis capitis de quo agimus (c. 12) verbis ea commoda celebrantur quibus homo publicis muneribus vacuus fruatur; invenimus iterum voces 'ἡγεμόνος', uti 'De tranquill. an.' 6, 467 D ac 'De exilio' 12, 604 B et 'περισπῶντος', ut in capite 8, 602 C 'περισπῶσαν'.

Ex capite 13 nihil quod huc pertinet lucramur, cum ibi Plut. varia tantum nonnulla collectanea conglutinarit; nec de capite 14, quo certiores fimus plerosque philosophos et historicos patria relicta sua sponte in alienis regionibus per totam fere vitam versatos esse, hoc loco diiudicare possumus.

Capita 15—17 Cynicam redolent doctrinam, qua de re vide Gieseckium per magnam dissertationis suae partem Teletis et Musonii reliquias cum Plutarcho conferentem.

Iam commemoratione dignum videtur c. 16, 606 D, ubi haec exstant: 'καὶ τοῦτο τῆς ἀβελτερίας ἔγκλημα μᾶλλον ἢ τῆς φυγῆς ἐστιν. οὐ γὰρ οἱ μαθόντες οὐδ' ἐπιστάμενοι χρῆσθαι τοῖς παροῦσιν, ἀλλ' οἱ ἀεὶ τοῦ μέλλοντος ἐκκρεμάμενοι καὶ γλιχόμενοι τῶν ἀπόντων ὡς ἐπὶ σχεδίας διαφέρονται τῆς ἐλπίδος': quae verba mirum quantum conspirant et cum capitibus 3—5 init. (cf. c. 4: 'χρώμενοι εὐλογίστως τοῖς παροῦσιν') et cum libri 'De tranquill. an.' capitibus iam saepius collaudatis; nam sub capitis 14 fine Plut. castigat homines 'τῆς αὔριον ἐκκρεμαμένους' pari modo atque 'De exilio' l. l. eos qui 'τοῦ μέλλοντος ἐκκρεμάμενοι' sint. Nec aliter 'De tranquill. an.' c. 14 init. perstringuntur ei qui 'παρόντα τὰ χρηστὰ .. ἀμελοῦσιν ὑπὸ τοῦ συντετάσθαι πρὸς τὸ μέλλον ἀεὶ ταῖς φροντίσιν'.

Cum primis verbis ex libelli 'De exilio' capite 16 supra exscriptis ('τοῦτο τῆς ἀβελτερίας ἔγκλημα μᾶλλον ἢ τῆς φυγῆς ἐστιν') conferas, quaeso, 'De tranquill. an.' c. 12 init., ubi eadem fere sententia his verbis continetur: 'εὐθυμίαν κολούει .. μειζόνων ἐφιεμένους ταῖς ἐλπίσιν . . . αἰτιᾶσθαι δαίμονα καὶ τύχην, ἀλλὰ μὴ τὴν αὐτῶν ἀβελτερίαν'; extrema contra verba quae supra attuli in mentem tibi revocant ea quae Plut. 'De tranquill. an.' 18 fin. et 19 init. de falsis 'ἐλπίσι' disserit.

Haec omnia Giesecke silentio praeteriit; contra recte indicavit totius libelli 'De exilio' exordium cum commentationis 'De tranquill. an.' capite 4 egregie convenire; nec vero singula accuratius pertractavit.

Dissertationis 'De tranquill. an.' enim capitis 4 argumentum

hoc est: 'ὁ λογισμὸς εὐκολίαν καὶ μεταβολὴν ἐγγενόμενος ποιεῖ πρὸς ἕκαστον βίον'. Quod ut comprobet, Chaeronensis tribus exemplorum paribus utitur, oppositis Alexandro Crateti, Agamemnone Diogeni, Phaethonte Socrati.

Iam in libri 'De exilio' inscripti fine coniunguntur Anaxagoras et Socrates quorum uterque in loco quamvis miserabili felix erat, quibus auctor opponit Phaethontem et Tantalum quos 'εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβάντας οἱ ποιηταὶ λέγουσι ταῖς μεγίσταις συμφοραῖς περιπεσεῖν διὰ τὴν ἀφροσύνην'.

Quod exordium minime quadrare in ea quae antecedunt, ubi rationibus Empedocleis et Platonicis demonstratur nullum locum homini εὐθυμίαν eripere posse, in promptu est; nam quod ad Socratem attinet, hic eam tantum ob causam praedicatur, quia 'φάρμακον πίνων ἐφιλοσόφει', non quia in carcere felix sibi videbatur; Phaethon autem Tantalusque non tam locum quendam alium appetere quam maiorem potentiam arripere conati superbia sua perierunt. Quae cum ita sint, iam Ioh. Stobaeus hoc exordium satis obiter adnexum esse perspexit, cum in Florilegio id omiserit. — Contra 'De tranquill. an.' c. 4 omnia haec exempla cum toto argumento bene concinunt; nam ibi haec exponuntur: 'ὥσπερ τὸ ὑπόδημα τῷ ποδὶ συνδιαστρέφεται καὶ οὐ τοὐναντίον, οὕτω τοὺς βίους αἱ διαθέσεις συνεξομοιοῦσιν αὐταῖς.'

Accedit quod hoc loco tria illa exemplorum paria egregie se excipiunt; contra 'De exilio' l. l. haec certa oppositio plane dissoluta est. Nec vero tantum libri 'De tranquill. an.' locum noster in altero libello mutuavit sed etiam 'De exilio' l. l. ipsum fontem adiit, cum ibi addat Anaxagoram Tantalumque, qui 'De tranquill. an.' l. l. desunt, contra in genuino commentario fuisse videntur; nam 'De profectu in virtutibus' c. 15, 84 F iterum invenimus 'εἱργμὸν Ἀναξαγόρου', cui apud Plutarchi auctorem Tantalum oppositum fuisse haud improbabile est.

CAPVT III.

De libello 'περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας' inscripto.

Praeter hanc quam iam tractavimus commentatiunculam dissertationi qua de tranquillitate animi agitur simillimum esse libellum 'περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας' inscriptum rectissime Heinze l. l. intellexit; nam totus fere depromptus est ex eisdem atque libri 'De tranquill. an.' et 'De exilio' commentariis, quod singulis liceat comprobare.

In libro 'De tranquill. an.' Plut. docet nostrum esse diiudicare quid bonum quidque malum sit, nec aliud fert iudicium 'De exilio' 2 fin. Iam conferas, quaeso, 'De virt. et vit.' c. 1 fin., ubi exponitur secundam fortunam non habitare in splendidis aedibus ingenti mole argenti, servorum multitudine refertis; immo: 'τὸ ἡδέως ζῆν καὶ ἱλαρῶς οὐκ ἔξωθέν ἐστιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ὁ ἄνθρωπος τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασιν ἡδονὴν καὶ χάριν ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους προστίθησιν', quibuscum cf. 'De exilio' 2 fin. et prae ceteris 'De tranquill. an.' 4 fin., ubi Plut. praecipit, ut 'τὴν πηγὴν τῆς εὐθυμίας ἐν αὐτοῖς οὖσαν ἡμῖν ἐκκαθαίρωμεν, ἵνα καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται', quibus ultimis verbis mirum quantum ea respondent quae 'De virt. et vit.' l. l. sequuntur, uti eadem sententia, eaedem voces, eadem fontis similitudo ad animum conversa recurrant. Externa infortunia ut in libro de quo agimus sic etiam in libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio', saepius 'τὰ πράγματα' nuncupari iam vidimus; cf. e. g. 'De tranquill. an.' 8 init.; 15, 475 F; 'De exilio' 1, 599 B. 'Ἱλαρῶς' habes etiam 'De tranquill. an.' 8 init.; 15 init.; 'De exilio' 5 init. 'Προστίθησι' simillimum in modum etiam 'De exilio' 2 init. usurpatur, ubi eadem atque 'De virt. et vit.' l. l. exstat deliberatio, in contrariam tantum partem conversa. 'De virt. et vit.' enim legimus: 'ὁ ἄνθρωπος προστίθησι τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασιν ἡδονήν'. — In l. 'De exilio' contra habemus haec: 'ἡ ψυχὴ τοῖς πράγμασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὐτῆς προστίθησιν', uti dubitari nequeat quin apud Plutarchi auctorem hae duae sententiae cum ad ἡδονήν tum ad βάρος spectantes, quorum utrumque ex ipso animo humano maxime oriatur, coniunctae exstiterint, Plut. autem, cum in suas cogitationes non quadrarit, in altero libro prius in altero secundum membrum omiserit.

Iam certissimam inter commentationes 'De virt. et vit.' et 'De exilio' necessitudinem indagavimus, nec non iterum his duabus quaestiunculis simillimus est libellus 'De tranquill. an.' inscriptus; nam redit ratiocinatio qua evincitur ἦθος tantum hominibus γῆθος creare etiam 'De tranquill. an.' 2 fin., ubi auctor exponit εὐθυμίαν non finiri nisi 'τῷ καλῷ', i. e. unice virtute ipsius hominis qui ad beatitudinem pervenire studet, minime autem 'πλήθει' vel 'ὀλιγότητι πραγμάτων'; negat igitur noster et in l. 'De virt. et vit.' et in l. 'De tranquill. an.' l. l. pari modo — quamquam diversis nimirum verbis — res externas aliquid valere ad *felicitatem parandam.* Praeterea conferre licet 'De tranquill. an.' *c. 14 init.*

Vox *γῆθος* usurpatur etiam in eiusdem libelli c. 20, 477 D, ubi Chaeronensis contendit: '*ὧν τὸν βίον μύησιν ὄντα καὶ τελετὴν τελειοτάτην εὐθυμίας δεῖ μεστὸν εἶναι καὶ γήθους*'; nec non collaudari potest 'De tranquill. an.' c. 19, 477 B, ubi legimus: '*ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν καὶ τὴν τοῦ βίου πηγὴν τὸ ἦθος* (= 'De virt. et vit.': '*ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους*') *ἀτάραχον ἔχουσα*'.

In capitis de quo disputamus fine Plut. pro certo habet homines vel '*πενίαν καὶ φυγὴν καὶ γῆρας ἐλαφρῶς καὶ προσηνῶς*' ferre posse, si quidem omnia eiusmodi '*πρὸς εὐκολίαν καὶ πραότητα τρόπου φέρουσιν*', quibuscum cf. ea quae supra de libri 'De tranquill. an.' capitibus 19 et 20 exposuimus.

Hic est ordo sententiarum: externa bona homines felices reddere non possunt, quoniam hominis tantum *ἦθος* eis suavitatem — 'De virt. et vit.' 1 — vel acerbitatem — 'De exilio' 2 init. — addit. Quae cum ita sint, per se divitiae servorumve grex quaeque alia huc pertinent prorsus inutilia videntur; attamen aliquo modo nobis prosunt, si ad ea accedit ipsius animi laetitia; nec non contraria ex parte ista laetitia vel incommodissima mala, uti paupertatem, exilium, senectutem tolerabilia reddit.

Exilium a plerisque hominibus inter mala referri sescenties ex libello 'De exilio' accepimus; praeterea idem commemoratur 'De tranquill. an.' 18 fin., quo accedit paupertas 'De tranquill. an.' c. 6. Ibidem habes gloriae et auctoritatis amissionem, cui respondent 'De virt. et vit.' l. l. '*δόξα καὶ δύναμις*'.

Quod ad singula verba attinet, cum voce '*προσηνῶς*' conferre licet 'De tranquill. an.' 3 fin. '*προσηνῆ*' ante similitudinem illam a corpore vix sanato petitam, quae etiam 'De virt. et vit.' 4 redit et infra a nobis examinabitur. Cf. etiam 'De exilio' c. 3 init. — Paulo post illam similitudinem sequitur 'De tranquill. an.' c. 4 vox '*εὐκολία*' = 'De virt. et vit.' l. l.: '*εὐκόλως*'. Etiam *πρᾶος*, *πραότης* saepius in aliis Plutarchi scriptis nobis occurrunt; cf. 'De tranquill. an.' c. 7 fin., ubi coniunctae sunt in una sententia voces: *πράγμασιν*, *ἐλαφρῶς*, *εὐκολώτατος*, *πραότατος*. Mentionem facere liceat etiam commentationis 'De sanitate tuenda' inscriptae capitis 7, ubi similem in modum atque 'De virt. et vit.' 1 animus cum corpore comparatur. Quo loco habes 125 C '*ἡδονὰς ὑπὸ τῆς ψυχῆς*' vocesque *πρᾶον* et *ἵλεων*, ad quas accedit c. 8 fin. *προσηνέστατον*. Haec eam ob causam moneo, quia hoc libri 'De san. tuenda' loco eandem paene atque 'De tranquill. an.' 3 fin. et 'De virt. et vit.' 4 med. similitudinem usurpari mox videbimus.

Pari modo atque c. 1 bonae frugis est plenissimum dissertatiunculae 'De virt. et vit.' c. alterum, quo Plut. nos edocet qualemcumque vitae rationem cum virtute coniunctam bonam suavemque esse ('μετ' ἀρετῆς καὶ δίαιτα πᾶσα καὶ βίος ἄλυπός ἐστι καὶ ἐπιτερπής'). Cf. iterum 'De tranquill. an.' 2 fin. et praeterea capita 17 et 19, ubi virtutem ad beatam tranquillamque vitam prorsus necessariam esse fusius demonstratur. Eodem loco Plut. contendit paenitentiam ex malis factis nascentem homines prohibere ne beati fiant; nec aliter libro 'De virt. et vit.' hominem in vitiis circumactum umquam tranquillitatem sibi conciliaturum negat. Omnem vitae condicionem cum virtute coniunctam suavem esse Chaeronensis affirmat etiam 'De tranquill. an.' 3 init. et prae ceteris c. 4 fin., ubi voces 'εὖ φρονεῖν' idem fere significant atque 'De virt. et vit.' 'ἀρετή'. — Quae cum ita sint, arctissime hos duos libellos inter se cohaerere et ex eisdem commentariis depromptos esse denuo manibus capessere licet. — Secundae res 'De virt. et vit.' l. l. 'τὰ λαμπρά' nuncupantur; cf. 'De tranquill. an.' c. 11 init. et c. 15, 473 F. — Ἄλυπος exstat e. g. etiam 'De tranquill. an.' c. 1, 465 A et c. 3 init. (λυπηρός, λυποῦν etc. habes 'De tranquill. an.' 2, 465 B; 3, 466 C; 5 init.; 6, 467 E; 7, 468 D; 13 fin.; 17 fin.; 'De exilio' 1, 599 B; 2, 599 D; 5 init. etc.).

Maioris est momenti quod 'De virt. et vit.' l. l. hominis nefandi condicio cum naufragi comparatur, quae comparatio redit etiam 'De tranquill. an.' c. 3 med., ubi easdem habes voces 'ναυτιῶντες' (= 'De virt. et vit.': 'ναυτιώδης') et paulo infra 'τὰ λυποῦντα'. — Ad 'δυσπρόσδεκτα' cf. 'De tranquill. an.' 16 'τὸ ἀπροσδόκητον' iterum cum voce 'λύπη' coniunctum.

Quod Plut. loco nobis proposito contendit vitium ad pulcherrimam quamque rem admixtum (μιγνυμένη) intolerabilem et odiosam eam reddere, hoc in memoriam nobis revocat ea quae libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio' de apta laudeque digna bonorum et malorum confusione disseruerat. Unde accepimus bona cum malis commixta suavia ea nobis reddere; hic contra exponitur mala cum bonis confusa inutilia ea nobis reddere.

In sequentibus demonstratur nos nullo modo efficere posse, ut a vitio, si nos occupavit, liberemur. Voci 'ἀναπαύεσθαι' respondet 'De tranquill. an.' 15, 443 F vox 'ἀναπνεῦσαι' in simili sententiarum nexu. Iam auctor docet vitium sedere 'ἐν τοῖς σπλάγχνοις', i. e. in ipso homine, idemque de virtute eum iudicasse satis superque nobis persuasimus.

Sequitur vitiosi hominis somni descriptio, quae aperte nos

reicit ad l. 'De tranquill. an.' c. 2, 465 DE; habes enim in utroque libro plurales '*ταραχαί*' et '*ζηλοτυπίαι*', nec non utroque loco *δεισιδαιμονία* castigatur. 'De virt. et vit.' p. 100 A inter vitia hominis insomnia perturbantia enumerantur '*φθόνος καὶ φόβος καὶ θυμὸς καὶ ἀκολασία*'. Cf. 'De tranquill. an.' 7 init., ubi iterum exstant cum *ζηλοτυπίαι* tum *ὀργαὶ καὶ φθόνοι*: accedunt *κακοήθειαι* = 'De virt. et vit.' l. l.: '*τὸ κακόηθες*'.

In extremo capite legimus: '*διαγριαίνειν τὰ πάθη καὶ τὰ νοσήματα*' = 'De tranquill. an.' 1 fin.: '*τὰ πάθη τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥαδίως οὐκ ἔστιν.*' — '*Πάθη καὶ νοσήματα*' inveniuntur etiam c. 7, 468 C.

Magni momenti est c. 3, ubi velut necessaria beatitudinis adminicula postulantur '*τὸ ἀμέριμνον, τὸ ἄλυπον, αὐτάρκεια, ἀταραξία, ἡσυχία*', quae sola felicitatem nobis praebere possint. Pari ratione Plut. de falsis '*μερίμναις*' disputarat etiam c. 2, 100 F — cf. 'De tranquill. an.' 20, 477 F. — Ad vocem '*ἄλυπον*' cf. quae supra adnotavi. — *Ἀταραξία* opposita est vocibus '*ταραχή*' et '*ταραχῶδες*', quae iam saepius nobis innotuerunt. — Voci '*ἡσυχία*' respondet *ἀπραγμοσύνη* quae 'De tranquill. an.' 6, 477 D et 'De exilio' c. 3, c. 6, c. 11 laudibus effertur.

Quae cogitationes excipiuntur comparatione illa nobis satis nota inter corpus et animum instituta, et conferuntur quidem hoc loco et corporis et animi sani voluptatum causae. — 'De tranquill. an.' 17, 476 A ad sanum corporis statum efficiendum '*σώφρων διαίτη*' requiritur; 'De virt. et vit.' l. l. edocemur *εὐκρασίαν* (quae oritur nimirum ex temperata vivendi ratione) necessariam esse eis qui '*ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς*' se dedere cupiant. — Quod ad animi laetitiam attinet, Plut. negat ei '*ἐγγενέσθαι*' posse '*γῆθος καὶ χαρὰν βέβαιον*' (cf. c. 1), nisi ei subsidio veniat '*τὸ εὔθυμον* (cf. totius commentationis '*περὶ εὐθυμίας*' indolem) *καὶ ἄφοβον καὶ θαρραλέον ὥσπερ ἕδραν ἢ γαλήνην*'. Pari modo 'De tranquill. an.' 17 fin. corporis placatus status et ibid. c. 19 animi tranquilli condicio cum mari quieto comparatur. 'De virt. et vit.' c. 3 fin. Plutarcho constare videtur hominem qui istam tranquillitatem sibi non pararit curis (*φροντίδος ἐκραγείσης*) perire; cf. 'De tranquill. an.' 14 init.; 20 fin.

Eodem libelli nobis propositi loco animi cura quadam mala confusi miser status confertur cum perturbatione quae rupe subito incidente in tranquillo mari existit. Similis comparatio 'De tranquill. an.' 17 fin. his verbis continetur: '*κἂν τις ἔξωθεν ἀρχὴ πάθους. ὥσπερ διαδρομὴ γένηται σπιλάδος*' = 'De virt. et vit.':

'κἂν ὑπομειδιάσῃ τις ἐλπὶς ἢ τέρψις, αὕτη ταχὺ φροντίδος ἐκραγείσης ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ σπιλάδος συνεχύθη.' Utroque igitur loco mala animum occupantia cum rupibus mari imminentibus conferuntur. Voces 'τέρψις' et 'εὐδία' usurpantur etiam 'De tranquill. an.' 19, ubi praeterea 'εὐδία καὶ γαλήνη' coniunguntur.

Iam in c. 4 modicus quidam divitiarum usus requiritur ('τὴν ἀπληστίαν παύσῃς'). Pari modo victus temperantia 'De tranquill. an.' c. 17 fin. celebratur.

Huic vivendi moderationi loco de quo agimus eadem ψυχῆς πάθη opponuntur in quae iam tam saepe incidimus: ἀπληστία, φόβοι, φροντίδες. (Animadverte, quaeso, pluralia!)

Deinde sequitur comparatio inter hominem intemperatum et hominem febricitantem instituta. Tales similitudines a corporis et animi condicione petitas nostrum admodum amasse apparet ex libri 'De tranquill. an.' 3 fin.; 8 init.; 19 med., ut multa alia quae huc pertinent omittam. — Agitur autem 'De virt. et vit.' l. l. de corporis paulo antea aegroti ubi sanum factum est statu. Exponit enim auctor ineptum esse 'πυρέττοντι καὶ χολικῷ μέλι' vel 'κοιλιακοῖς καὶ δυσεντερικοῖς σιτία καὶ ὄψα' offerre, quoniam aegrotanti homini ne suavissimus quidem et iucundissimus cibus placeat; contra eosdem homines, ubicumque sanitatem recuperarint, cibum quamvis tenuem ac vilem cupidissime edere. — Plane idem Chaeronensis profert 'De tranquill. an.' 3 fin.: 'ὁ γὰρ ἐχθὲς ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον διαπτύων (cf. 'De virt. et vit.': 'οὐχ ὁρᾷς τοὺς νοσοῦντας, ὅτι τῶν βρωμάτων τὰ καθαρώτατα καὶ πολυτελέστατα[1]) δυσχεραίνουσι καὶ διαπτύουσι' etc.), τήμερον αὐτόπυρον ἐπ' ἐλαίαις ἢ καρδαμίδι σιτεῖται προσφιλῶς καὶ προθύμως' ('De virt. et vit.': 'ἄρτον λιτὸν ἐπὶ τυρῷ καὶ καρδάμῳ χαίρουσι καὶ ἀσμενίζουσιν ἐσθίοντες'), id quod fieri 'τῆς κράσεως μεταβαλούσης καὶ πνεύματος χρηστοῦ καὶ γλυκέος αἵματος ἐγγενομένου' etc. ('De virt. et vit.'), cui sententiae optime respondent 'De tranquill. an.' l. l. haec: 'τῆς νόσου διαλυθείσης καὶ κράσεως ἑτέρας ἐγγενομένης'; uti in utroque libro ad valetudinem restituendam nova commixtio sucorum requiratur.

Eaedem fere deliberationes inveniuntur 'De sanitate tuenda' c. 8 fin.[2]), ubi legimus: 'ἑφθὰ μὲν γὰρ καὶ ὀπτὰ καὶ πεπτὰ βρώματα

1) Quae verba idem significant atque 'De tranquill. an.' l. l.: 'ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον'.

2) Cf. eiusdem commentationis c. 4 init.

νοσοῦσιν ('De virt. et vit.': '*νοσοῦντας*') *οὐδεμίαν ἡδονὴν οὐδὲ χάριν ἀποδίδωσι· καθαρὰ δὲ καὶ ἀκραιφνὴς ὄρεξις ὑγιαίνοντι σώματι πᾶν ἡδὺ ποιεῖ.*' Cf. 'De tranquill. an.' l. l.: '*ἦλθεν ἡ ὑγίεια φίλα πάντα ποιοῦσα καὶ προσηνῆ*'. Similia exstant etiam 'De san. tuenda' 12, 128 CD, ubi voculae repetuntur '*πολυτελές*' et '*κραιπαλῶσι*'. In eiusdem commentationis capitis 10 init. requiritur '*αἷμα λεπτόν*' et '*πνεῦμα καθαρόν*' nec a libri 'De virt. et vit.' l. l. distat c. 14, 129 B sq.: '*δεῖ* . . *τῶν ὕπνων* . . *καὶ διασπασμοὺς εὐλαβεῖσθαι καὶ τῶν ἐνυπνίων τὴν ἀτονίαν, ἅνπερ ὦσι μὴ νόμιμοι μηδὲ συνήθεις αἱ φαντασίαι, πλῆθος ἢ πάχος ὑγρῶν ἢ πνεύματος ταραχὴν ἐντὸς κατηγοροῦσαν*', quae verba etiam ad ea alludunt quae Plut. 'De virt. et vit.' 2 de bonis malisque insomniis disserit.[1])

Iterum ad libri 'De virt. et vit.' c. 4 redeuntes videmus ab illa de corporis valetudine et morbis disputatione transgressum fieri ad animi humani bonam malamque condicionem. Qui transgressus efficitur his verbis: '*τοιαύτην ὁ λόγος ἐμποιεῖ τῇ ψυχῇ διάθεσιν*'. Iam 'De tranquill. an.' 3 fin. et 4 init. auctor pari modo ab eodem exemplo eadem transitus formula ad ea se convertit quae illa comparatione comprobare volebat, cum dicit: '*τοιαύτην ὁ λογισμὸς εὐκολίαν καὶ μεταβολὴν ἐγγενόμενος ποιεῖ πρὸς ἕκαστον βίον*'.

'De tranquill. an.' c. 4 sq. accipimus qualemcumque vitae condicionem suavem videri sapienti, eademque sententia in libelli nobis propositi exordio paucis delineatur, uti in promptu sit in utroque scripto ex eadem comparatione eadem transeundi ratione plane eandem deduci sententiam. — Vox '*διάθεσις*' Plutarcho admodum familiaris est; nam ea utitur etiam 'De tranquill. an.' 4, 466 F; 16 fin.; 17 med.; 18 fin. saepiusque etiam in aliis libris. Sequuntur 'De virt. et vit.' l. l. Stoica commenta quae quam maxime in mentem nobis revocant 'De tranquill. an.' c. 12, ubi eaedem fere Stoicorum ratiocinationes ab adversariis defenduntur. — '*Ἀπράγμων*' et homo rei publicae muneribus deditus pari modo atque hoc loco saepius sibi opponuntur. Cf. supra p. 86 sq.

Deinde Plut. affirmat nos posse '*πανταχοῦ ζῆν ἡδέως*', quibus verbis totum libelli 'De exilio' argumentum comprehenditur. — Proxima verba '*εὐφρανεῖ σε πλοῦτος πολλοὺς εὐεργετοῦντα*' ad capitis 1 finem alludunt, ubi legimus: '*πλοῦτος ἡδίων* .. *ἂν τὸ ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἔχῃ γῆθος*'. Eodem loco Plut. exponit etiam eos

1) Ibid. (c. 14) occurrunt plurales '*ἀθυμίαι καὶ φόβοι*'.

qui in 'πενίαν' vel 'φυγήν' forte inciderint haec incommoda aequo animo facile ferre posse (cf. 'De tranquill. an.' c. 4 init.) nec aliter iudicat in c. 4 de paupertate et 'ἀδοξίᾳ'. Aptissime huc quadrat 'De tranquill. an.' c. 6, ubi Plut. eos consolatur qui paupertate vel exilio vel munerum amissione vexantur. 'De virt. et vit.' hominem cui ἀδοξία accidit praedicat ut 'μὴ φθονούμενον', 'De tranquill. an.' l. l., quia vitam degat 'ἀκινδύνως'.

Quae omnia si in animo tenemus, constare videtur libelli 'De virt. et vit.' finem commentationis 'De tranquill. an.' cap. 4 e. q. s. excipi, ubi 'τὸ μεθιστάναι τὴν τύχην ἐκ τῶν ἀβουλήτων' fusius describitur et singulis comprobatur, ut non dubium sit quin utrumque volumen eidem commentario ab Chaeronensi adhibito assignandum sit.

Quaestiunculae 'De virt. et vit.' exordium satis abruptum est, cum ad capitis 1 indolem respiciat quidem nec vero, id quod quam maxime desideramus, illam accuratius illustret.

Attamen mihi persuadere non possum in codicibus tantum hanc commentatiunculam mutilatam esse; immo in suum usum Plut. haec omnia nulla arte conglutinata composuit, ut postea eis uti posset; minime autem ipse istam schedulam publici iuris fecit. Quae sententia eo argumento stabilitur quod eaedem plane cogitationes multo copiosius adumbratae etiam in libro 'De tranquill. an.' exstant.[1]) Hoc, quoad pertinet ad 'De tranquill. an.' c. 3 fin. et 4 init., iam satis exposuimus; accedit quod Heinze (Rh. M. 45, 499 sq.) optime demonstravit libri 'De virt. et vit.' finem, qui iusto brevior nobis videbatur, libri 'De tranquill. an.' capitibus 5 et 6 continuari. At falsus, ni fallor, idem est, cum censet hucusque tantum utramque dissertationem concordare; nam vel ex capitibus 12, 14, 17, 19, 20 haud pauca lucrati sumus quae minime abhorrent ab libelli de quo verba facimus indole. Quae cum ita sint, non dubito quin ista dissertatiuncula referenda sit inter commentarios illos, quorum auctor 'De tranquill. an.' c. 1 mentionem facit quosque in Paccii amici usum se contexuisse ipse fatetur, ut ratio qua Plut. libros suos composuit satis perspicua fiat.

Eiusmodi libelli vel potius schedae complures in Moralium corpore servatae sunt, quas partim librariorum culpa detruncatas, partim Plutarcho suppositas esse homines docti coniecerunt, cum earum et sententiae et forma minime expolitae nec quaestiones incohatae ad certum finem deductae sint.

1) cf. *Volkmann*, Plutarch II 101.

At multo rectius statuemus omnes eiusmodi libros Chaeronensem leviter et exiguo temporis spatio conscripsisse, ut posterioribus temporibus occasione data velut materie eis uteretur, contra post eius mortem haec fragmenta ab amicis edita esse.

CAPVT IV.

De libello 'περὶ τύχης' inscripto.

Initium faciamus a commentatione 'περὶ τύχης' inscripta[1]), quae libello supra enarrato prae ceteris affinis est.

Principium in hoc scripto Plut. petit a versu quodam Chaeremonis tragici (frg. 2N²) qui contenderat:

'τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία',

quam sententiam ineptissimam esse Plut. in hoc scripto comprobare studet. At miramur quod omnis deest praefatio, quamquam in promptu est nostrum non unum in hunc versum se accingere, sed in hominem quendam qui eum probarat. Quem hominem quocum Plut. digladiatur Theophrastum Peripateticum esse Duemmler (Akademika p. 201 sq.) egregie demonstravit, collatis Ciceronis Tusculanis V 25, unde accipimus Theophrastum a permultis philosophis vexatum esse, quia in Callisthene suo illum versum, quem Cicero latine vertit, defendere conatus esset[2]), quam Theophrasti doctrinam Stoicos vehementer impugnasse Cicero Tuscul. III 22 nobiscum communicat. Quae cum ita sint, recte Duemmler coniecit Plutarchum nobis servasse Stoici cuiusdam argumenta contra Theophrastum prolata. Quem Stoicum Aristonem Chium fuisse Duemmler pro certo habet et Giesecke l. l. p. 104 sq. ei adstipulatur. Nec vero hanc coniecturam ullo modo probabilem esse mihi persuadere possum, sed id tantum constare mihi videtur Stoam redolere hanc commentationem[3]); quamquam in hanc rem accuratius inquirere opus non est, cum nostra tantum intersit explicare, quomodo hic liber cohaereat cum aliis Plutarchi scriptis.

1) De hoc libro disseruit Augustus Schlemm 'De fontibus Plutarchi commentationum 'De aud. poet.' et 'De fortuna'. diss. Gotting. 1893.

2) Cf. Zeller II, 2, p. 857.

3) Duemmler p. 214 mirificam profert suspicionem; putat enim apud Ciceronis auctorem verba exstitisse 'Ἀρίστωνος τοῦ φιλοσόφου', quae verba Tullium nescio quo errore caecatum vertisse in 'omnes philosophos'. Nonne revera compluribus philosophis Theophrasti doctrina displicere potuit? Cf. etiam Schlemm l. l. p. 90.

Non fortunam sed virtutem et rationem vitam nostram regere Chaeronensis eadem ratione 'De tranquill. an.' 4 fin., 5 fin., 10, 14 fin., 17, 18, 19 demonstrat, quamquam minime negat fortunam quidquam valere ad vitam nostram conformandam[1]); at nobis persuadere studet satis tenuem esse eius vim et inbecillam, si in sapientem incidat.

Ad singula adnotem haec. — In capite primo Lasthenes et Euthycrates vituperantur ut homines 'τῷ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν'[2]); cf. 'De tranquill. an.' c. 2 fin.: 'τῷ καλῷ καὶ τῷ αἰσχρῷ ὁρίζειν τὸ εὔθυμον καὶ τὸ δύσθυμον'.[3]) Ad 'λιχνείαις' cf. 'De virt. et vit.' 2, 100 F 'λιχνείας'.

C. 2 init. aliorum philosophorum (φασί) sententia refellitur, qui 'σωφροσύνην φρόνησιν εἶναι' contenderant. Spectat Plut. hoc loco ad Zenonem Citiensem, qui 'τὴν φρόνησιν ἐν αἱρετέοις σωφροσύνην' esse docuerat.[4])

Paulo infra auctor exponit ineptissime nos agere, si 'μεθέμενοι τῶν οἰκείων λογισμῶν εἰς τὴν τύχην ἑαυτοὺς ἀφῶμεν'; cf. 'De exilio' c. 2 init. Similem sententiam in libro 'De tranquill. an.' saepius invenimus, ubi Plut. postulat, ut nosmet ipsos inspiciamus nec alia curemus (cf. supra p. 59 sq.).

In capitis fine Plut. homines sugillat qui fortunam vituperent, quamquam ipsi unica malorum suorum causa sint. Dicit enim: 'εἰ ὑπὸ τῇ τύχῃ πάντ' ἐστίν, ἣν τυφλὴν λοιδοροῦμεν, ὡς τυφλοὶ περιπίπτοντες αὐτῇ· τί δ' οὐ μέλλομεν, ὅταν ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν ἐκκόψαντες αὐτῶν τοῦ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν;' Iam cf. 'De tranquill. an.' c. 10 med.: 'τοῦτο δ' ἐστὶ τί ἄλλο ἢ συλλέγοντα προφάσεις ἀχαριστίας ἐπὶ τὴν τύχην αὐτὸν ὑφ' αὑτοῦ κολάζεσθαι;' et c. 12 init.: 'εὐθυμίαν κολούει ... αἰτιᾶσθαι δαίμονα καὶ τύχην, ἀλλὰ μὴ τὴν αὑτῶν ἀβελτερίαν.'

C. 3 Stoicis commentis scatet[5]); e. g. Promethei ille mythus ad λογισμόν refertur.

Sequitur longa explicatio, qua comprobatur homines in rebus corporeis omnibus paene bestiis esse inferiores, longe contra ani-

1) Cf. Volkmann, Plutarch II 109, adn.
2) Post verba 'κακῷ δαίμονι' interpolatae sunt voces 'καὶ τύχῃ'.
3) Etiam Epicureis opprobrio vertebatur quod felicitatem secundum ventrem definirent. Cf. Timonis Phliasii frg. 56 W. Giesecke p. 36 falso confert 'De exilio' 10, ubi vox 'μετρέω' Callimacho vindicanda est.
4) Cf. 'De virtute morali' c. 2, 441 A. De Zenone, Plutarchi auctore, conferendus est Schlemm p. 74 sq. 87 sq. 89. 95 sq. 98 sq. 100.
5) Cf. Duemmler p. 213. Giesecke p. 104. Schlemm p. 94 sq.

malia superare animi viribus, cum nobis praesto sint *φρόνησις*, *ἐμπειρία*, *μνήμη*, *σοφία*, *τέχνη*.

De ratione quae inter homines et bestias intercederet Plut. saepius disseruit; e. g. iocoso modo in Gryllo evincere studet animalia vel mente nobis superiora esse, et serio eandem sententiam comprobare studet in commentatione 'De sollertia animalium' inscripta, ubi docet bestias revera ratione instructas esse. Qua in re Theophrasti vestigia premit, quem animalibus *λογισμόν* assignasse nemo est quin sciat.[1]) 'De fort.' c. 3, 98 E Plut. doctrinam suam exornat nonnullis versibus ex Euripidis Aeolo (frg. 27 N.) depromptis, eidemque versus redeunt 'De soll. anim.' 1, 959 D. Praeterea monendum est istas Theophrasti ratiocinationes quas Plut. amplectitur vehementer impugnatas esse a Stoicis, Laertio Diogene (VII 129) teste[2]); nam cum Chaeronensis in libro 'De fort.' Stoicum auctorem, Theophrasti de fortuna casuque doctrinam refutantem, sequatur, nonne veri est simillimum etiam ea quae de hominum et animalium differentia profert ex eodem Porticus assecla ei adfluxisse e quo illa petivit, et hunc Stoicum etiam in his cum Theophrasto digladiatum esse, quippe qui animalibus rationem ascripsisset?[3]) — Contra Empedoclis versus quibus paulo antea utitur et Anaxagorae sententiam quae infra enarratur Plut. ipse forte inseruit nec ex auctore suo sibi adscivit.[4])

Sub eiusdem capitis fine *φρόνησις*, qua sola bestias antecedamus, elatis his verbis collaudatur: '*μανθάνωμεν, ποῖ τὸν ἄνθρωπον ἡ φρόνησις αἴρει . . καὶ κρατεῖ πάντων καὶ περίεστιν.*' — Simillima exstant 'De tranquill. an.' c. 17, 475 D: '*τῆς δὲ βελτίονος μερίδος αὐτοὶ κρατοῦμεν.*' — Praeterea cf. etiam ad extrema capitis 3 verba quibus comprobatur '*μηδὲν τῆς τύχης, ἀλλὰ πάντα τῆς εὐβουλίας εἶναι*' 'De tranquill. an.' c. 17, 475 CD.

In capite 4 accuratius exponitur in nullo fere negotio quidquam fieri posse casu, sed omnia ratione et prudentia; nam '*αἱ τέχναι μικραί τινες εἶναι λέγονται φρονήσεις, μᾶλλον δ' ἀπορροαὶ φρονήσεως καὶ ἀποτρίμματα ἐνδιεσπαρμένα ταῖς χρείαις ταῖς περὶ τὸν βίον, ὥσπερ αἰνίττεται τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ Προμηθέως*

1) Theophr. scripsit '*περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους*' (Laert. Diog. V 49). Cf. Bernays, Theophrasts Schrift von der Frömmigkeit p. 7, 99 sq., 102, 148.

2) Cf. Zeller III, 1, p. 372.

3) Cf. Duemmler, Academica p. 128, 2; 212.

4) Ut Duemmler p. 108; 128, 2 censet.

(φρονήσεως) βαρύνει καὶ καταισχύνει τὸν κεκτημένον' scil. qualecumque bonum ei contigit. Iam cf. 'De virt. et vit.': 'ἡ δὲ κακία καὶ τὰ λαμπρὰ φαινόμενα καὶ πολυτελῆ καὶ σεμνὰ μιγνυμένη λυπηρὰ καὶ ναυτιώδη καὶ δυσπρόσδεκτα παρέχει τοῖς κεκτημένοις', ut in utraque commentatiuncula eadem sententia pari modo illustretur. Sequitur versus illius Hesiodei (OD. v. 86), quo Prometheus Epimetheum admonet ne Iovis dona accipiat, interpretatio[1]) et referuntur quidem illa dona ad 'τὰ τυχηρὰ καὶ τὰ ἐκτός' (cf. 'De tranquill. an.' c. 16, 474 D 'τῶν τυχηρῶν'). — Deinde exponitur nos nihil usquam in ulla arte proficere posse, nisi in ea per longum temporis spatium exercitati simus, et finitur tota disputatiuncula Demosthenis enuntiato quodam (Orat. Olynth. I 23), quod Plut. ex collectaneis suis petivisse videtur, iterum non tam apte ad extrema verba antecedentia adnexo.[2])

CAPVT V.

De libello 'Εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή' inscripto.

Ex eisdem commentariis atque commentatio 'De fortuna' inscripta pars quaedam effluxit parvuli libelli, cui titulus est 'An virtus doceri possit'[3]); nam ut ibi Plut. in universum comprobaverat qualemcumque artem nos discere debere, cum nihil casu nobis accidat, sic in hoc libello de virtute idem constare demonstrat. Accedit quod in utraque dissertatione quam vehementissime eos qui fortunae aliquid tribuunt perstringit.

Quae sententiae in c. 1 eo stabiliuntur, ut Plut. explicet nos 'ψάλλειν καὶ ὀρχεῖσθαι καὶ ἀναγιγνώσκειν γράμματα καὶ γεωργεῖν καὶ ἱππεύειν' nec non 'ὑποδεῖσθαι, περιβάλλεσθαι, ἀλεί-

1) Similis exstat huius versus interpretatio in commentationis 'De poet. aud.' inscriptae c. 6 p. 23 E. Cf. Giesecke p. 109. Schlemm p. 55 sq. 100, qui hoc interpretamentum ad Zenonem revocat. Ceterum commemorare licet hos duos libellos ('De fortuna' et 'De poetis audiendis') valde inter se affines esse. De mythi Promethei explicatione, quam Stoicis vindicavimus, cf. etiam Duemmleri Academica p. 212. Schlemm p. 55 sq. 94 sq.

2) Cf. Schlemm p. 100 (cf. ibid. p. 92 sq. de Plutarchi studiis Demosthenicis).

3) Ultima huius capitis verba male corrupta sunt, cum perperam repetantur verba 'τὸ εὐτυχεῖν παρὰ τὴν ἀξίαν'. Inter se opponuntur 'κακῶς φρονεῖν' et 'κακῶς πράττειν', uti post vocem 'ἀλλὰ' voculam 'καί' addere et proxima verba falso iterata delere necessarium sit.

ʼεσθαι, οἰνοχοεῖν, ὀψοποιεῖν' opera ac labore discere debere, uoniam 'ταῦτ' ἄνευ τοῦ μαθεῖν οὐκ ἔστι χρησίμως ποιεῖν'. adem negotia cottidiana in libro 'De fort.' laudantur, ubi cf. c. 5 init.: ιουσικὴν (τέχνην) ('An virtus': ψάλλειν) καὶ περὶ ἄρτυσιν ψων, ἣν μαγειρικὴν ὀνομάζομεν' ('An virtus': ὀψοποιεῖν). ıulo infra legimus: 'τούς τε παῖδας καὶ ὑποδεῖσθαι καὶ περιέλλεσθαι διδάσκομεν' ('An virtus': 'ὑποδεῖσθαι μανθάνουσι, ̇ριβάλλεσθαι καὶ ἀλείφεσθαι'), et in capite 6 Plut. negat nos sse 'συρίζειν ἄμουσον' ('An virtus': ψάλλειν) vel 'ἀναγνώσκειν ἀγράμματον' ('An virtus': ἀναγιγνώσκειν ›άμματα) vel 'ἱππεύειν ἄνιππον' ('An virtus': ἱππεύειν).

Concluditur 'An virtus' 1 fin. ex his exemplis ineptum tantum minem credere posse haec omnia nos sane discere debere, contra › εὖ βιοῦν' esse 'ἀδίδακτον καὶ ἄλογον καὶ ἄτεχνον καὶ αὐτό:τον'; cf. iterum 'De fort.' 5 init.: 'θαυμαστὸν οὖν ἐστι, πῶς μὲν τέχναι τῆς τύχης οὐ δέονται πρὸς τὸ οἰκεῖον τέλος, ἡ πασῶν μεγίστη καὶ τελειοτάτη τέχνη καὶ τὸ κεφάλαιον ς ἀνθρωπίνης εὐφημίας καὶ δικαιώσεως οὐδέν ἐστιν' et prae teris paulo infra p. 99 D med.: 'τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα . οὐ παρακαλεῖ τὴν φρόνησιν;'

In capite 2 accuratius exponitur nos ipsam tollere virtutem, 'ἀδίδακτον' eam esse statuamus, et in eis quae sequuntur ıt. iterum respicit ad eos qui 'ἱστόν' vel 'βιβλίον' vel 'λύραν' hibent, id quod nullo modo facere possint, si non ipsam tegendi l legendi vel psallendi artem didicerint. Deinde auctor demonat plerosque perperam arbitrari se 'γάμον καὶ πολιτείαν καὶ χὴν μεταχειρίσασθαι' posse, quamquam nec cum uxore bene nsuescere nec rei publicae muneribus apte fungi didicerint. Simili ›do dicit 'De fort.' c. 6, postquam eadem ratione atque loco em tractamus negavit hominem συρίζειν posse ἄμουσον vel αγιγνώσκειν ἀγράμματον: 'παρακελευόμενος . . μὴ ἄρχειν ›όητον ὄντα . . μηδὲ γαμεῖν κρατούμενον ὑπὸ γυναικός'; ultima haec verba conferre iuvat etiam 'De virt. et vit.' 2 init., e tranquill. an.' 12 med., ubi eisdem versibus comicis (Meineke 57) exponitur quam turpe sit si 'ἡ γυνὴ κρατεῖ πάντων'. — ım tota sententia bene convenit 'De fort.' c. 4 init. — In proximis ut. narrat paedagogum quendam a Diogene vapulasse, cum dis›ulum suum modeste edendi artem non satis diligenter docuisset, a historiola Plut. evincere vult nos ne edere quidem honeste sse, nisi iam a pueris id didicerimus; nec aliter 'De fort.' c. 5 erorum educationem collaudat, e qua idem fere concludit atque

'An virtus' l. l., cum pergat: 'ὡς οὐδὲ τούτων γιγνομένων ἀπὸ τύχης, ἀλλ' ἐπιστάσεως καὶ προσοχῆς δεομένων.' — Quae cogitationes per dissertatiunculae capitis 2 alteram partem continuantur, ubi fusius de paedagogi officiis disputatur; nec vero nostra interest accuratius in hanc rem inquirere.[1])

Immo iam ad c. 3 examinandum nos convertamus. Ubi iterum noster evincit falso plerosque statuere 'τῶν μικρῶν καὶ παιδικῶν' esse 'διδασκαλεῖα, τῶν δὲ μεγάλων' contra 'καὶ τελείων ἄλογον τριβὴν καὶ περίπτωσιν εἶναι'. Quibuscum verbis conferas 'De fort.' c. 5 init., ubi eodem modo a minoribus transgressus efficitur ad maiora et vocibus 'μεγάλων καὶ τελείων' respondent superlativa 'μεγίστη καὶ τελειοτάτη'.

Paulo infra Chaeronensis contendit homines infitiantes virtutem doceri posse virtuti 'τὸν λόγον ὥσπερ ὄμμα' eripere et simillimum in modum dicit 'De fort.' 2 fin., quamquam ibi paulo aliter sententiam convertit: 'ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν (= 'An virtus': 'τὸν λόγον') ἐκκόψαντες αὐτῶν τοῦ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν;'

Sequitur in libello 'An virtus' idem Iphicratis enuntiatum quod iam 'De fort.' c. 6 nobis innotuit. At hoc loco eadem histo-

1) Cf. Giesecke p. 62, 1. Ceterum animadvertas, quaeso, Platonis enuntiatum quoddam (Clitoph. p. 407 C) cum in hoc libello 439 C tum 'De vitioso pudore' c. 16 redire, at in utraque commentatione satis commutatum esse. Pro Platonis 'ἐν τῷ ποδί' legimus in utroque libro 'τοῦ ποδός'. Sequitur apud Platonem et 'De vitioso pudore' l. l. 'πρὸς τὴν λύραν καὶ ἀμετρίαν', quae ad verba ex Clitophontis dialogi verbis postea demum sequentibus 'ἀμέτρως καὶ ἀναρμόστως' 'An virtus' l. l. haud ita apte additum est 'καὶ ἀναρμοστίαν'. — Verba 'ἀδελφὸς τῷ ἀδελφῷ' solum 'An virtus' l. l. exstant; contra 'φίλος — φίλῳ' (φίλοι — φίλοις) in utroque scripto Plutarcheo nec vero apud Platonem legimus, idemque cadit in vocem 'διαφέρεται' (διαφερόμενοι), uti in utroque libro Plut. Platonis verbis novum membrum inseruerit; contra proxima verba 'πόλεις — πόλεσι' cum utroque Plutarchi loco tum apud Platonem usurpantur. — Porro Plato dicit: 'τὰ ἔσχατα δρῶσι καὶ πάσχουσιν'; Plut. haec verba utroque loco voce 'τε' coniungit; praeterea legimus 'De vit. pud.' l. l. 'τὰ κάκιστα' pro 'τὰ ἔσχατα'. Ibid. ultima verba ex Platonis primis verbis conficta sunt; non inveniuntur 'An virtus' l. l. — In utroque igitur volumine Platonis verba partim servata partim eundem in modum commutata sunt, ut dubitari nequeat quin iam auctor quem Plut. adhibuit Platonis Clitophontem laudarit nec non in singulis mutilarit. — Accedit quod etiam Plato in Clitophonte quaerit an virtus doceri possit (c. 4), qua re aliquo modo stabilitur Plutarchum non ex memoria Platonis verba afferre, sed auctore usum esse qui et ipse, Clitophonte laudato, de virtute docenda disseruerat.

riola multo accuratius enarratur, cum etiam hominis cum Iphicrate colloquentis nomen ex eo lucremur; erat enim Callicles, Chabriae filius, qui 'De fort.' l. l. voce 'τις' significatur.

Sub capitis fine Plut. φρόνησιν — ut per totam 'De fort.' disputatiunculam — summis laudibus cumulat, quoniam sine ea 'τῶν ἄλλων τεχνῶν ὄφελος οὐδὲν οὐδ' ὄνησίς ἐστιν'. Iam cf. 'De fort.' c. 4 fin.: 'αἱ τέχναι μικραί τινες εἶναι λέγονται φρονήσεις'. Paulo infra in libello 'An virtus' φρόνησις nuncupatur 'ἡγεμὼν καὶ κόσμος ἁπάντων' qui 'εἰς τὸ χρήσιμον ἕκαστον καθίστησιν', et eadem definitio 'De fort.' c. 6 init. his continetur verbis: 'ἡ φρόνησίς ἐστι .. τὸ πᾶσι .. καλῶς χρῆσθαι δυνάμενον καὶ δι' ὃ τούτων ἕκαστον ἡδὺ γίγνεται καὶ ἔνδοξον καὶ ὠφέλιμον.' Praeterea optime huc quadrat 'De tranquill. an.' 5 init.: 'δεῖ .. νέμειν ἑκάστῳ τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὸ οἰκεῖον ὠφελήσει μάλιστα.'

Quibus omnibus argumentis satis comprobatum videtur scriptiunculas 'De fortuna' et 'An virtus doceri possit' inscriptas artissimo vinculo inter se conexas esse; nec mirum est quod etiam libellus iam a nobis percensitus satis breviter abruptus est et omni caret exordio; nam ne hic quidem liber fragmentum est, sed schedula tantum a Plutarcho in suum usum obiter composita.[1])

CAPVT VI.

De commentariolo, qui inscribitur 'Πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα'.

Nec non inter Plutarchi schedas referendus est alius eius libellus 'πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα' inscriptus, qui magni nobis erit pretii. — Cuius in voluminis capite 1 Chaeronensis postulat, ut ad hominis mala accuratius cognoscenda, animo corpori opposito, quaeramus utrum 'διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν'. Iam vides etiam in hac commentatione de fortuna agi.

Ac principium quidem disputationis petitur a versu Homerico (*P* 446), quo poeta edocet miseriorem esse hominum bestiarum condicione. Similiter Plut. 'De fort.' 3, 98 D dicit: 'τύχῃ γε καὶ

1) *Cf. de hoc libello, quem Xylander non recte a Plutarcho abiudicavit, Volkmannum,* Plutarch II 93.

φύσει γενέσεως ἀμείνονι τὰ πλεῖστα τῶν ἀλόγων
At in eis quae sequuntur Plut. exponit tamen nos bes
esse, cum acceperimus 'τὸν λογισμὸν καὶ τὴν ἐπιμέ
πρόνοιαν'. In commentationis de qua agimus initi
'διὰ τύχην' animalibus inferiores simus; pro certo id
'De fort.'. At etiam ibi nos prudentia et ratione
bestias anteire docet; nam conferre licet c. 3 fin., q
libri 'Corporisne an animi' hunc locum alludit.

Ut in duabus dissertationibus 'De fort.' et 'An
[illegible]', sic etiam in hoc libello disseritur de ratio
hominem et fortunam intercedat, et uti in illis sic
[illegible] conatur plane nihil fortunam caecam vale
[illegible] atque 'De tranquill. an.' c. 17 sententiam, ul
[illegible] 'μικρὸν μέρος τοῦ ἀνθρώπου, τὸ σ
[illegible]', cui opponitur sapientis mens quae casu op

Similiter [illegible] quo exspatiati sumus Plutarc
[illegible] inter se conferre iam indicavimus, et cor
[illegible] referuntur — cf. 'De tranquill. an.'
[illegible] καταβάλλειν τ
[illegible] contra animi mala non n
[illegible] fortunae vi et voluntate exponit
[illegible] ἔργον ἐστὶ πρῶτον. εἰ
[illegible] corporis et animi comparationem
[illegible] ibi haec exstant: 'τὸ
[illegible] ἡ δὲ ψυχὴ
[illegible]': et
[illegible] sibi opponuntur, quarum
[illegible] in memoriam nobis re
[illegible] ἡ τύχη δύναται
[illegible] τὸν
[illegible] Plut. affirmat
[illegible] sic e contrario 'De vi
[illegible] ipso animo, non
[illegible] ipsum esse
[illegible]

[illegible] videntur, cum
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

nec credo esse quemquam quin perspiciat eadem transgrediendi formula, qua auctor noster tam saepe in illo libro usus est, etiam hic novum tranquillitatis adminiculum induci, cum Chaeronensis dicit: '*οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος*' etc., quibus ipsis verbis aperte significatur hanc sententiam non arcte cum prioribus cohaerere, sed progredi aliquo modo sententiarum ordinem; nam cf. 'De tranquill. an.' 6, 464 F '*καὶ τοῦτο πρὸς εὐθυμίαν μέγα*', 8, 469 B '*ἀγαθὸν τοίνυν .. πρὸς εὐθυμίαν*', c. 10 init., 12 init., 15 init., et fere ad verbum cum loco de quo agimus conspirat c. 19, 476 F: '*τοῦτο γὰρ ἐφ' ἡμῖν κείμενον οὐ μικρόν, ἀλλὰ μέγα πρὸς εὐθυμίαν πάρεστι.*' Voces '*ἰάσιμον*' et '*ἄσφυκτον*'[1]) ex arte medica petitae sunt, quod non nullius esse momenti ex eis quae de Plutarchi consuetudine similitudinibus ad corporis morbos spectantibus inventa sua exornandi disserui satis elucet.[2])

Ipsum autem *εὐθυμίας* adminiculum quod in animo habet et fabula Aesopea illustrat est '*ἡ περὶ τὸ ἦθος εὐτροπία ἐπὶ πολλὰ ταῖς χρείαις ἀμειβομένη*', i. e. facilitas quae qualemcumque vitae statum aequo animo accipit et fert. Haec in capitis primi indolem, ubi explicatur animum humanum sui mali ipsam unamque esse causam, minime quadrare in propatulo esse mihi videtur. Nonne illa *εὐτροπίας* laude Plutarchus ipse concedit, id quod certis verbis in capite 1 negaverat, *τύχην* aliquid valere ad beatam vitam parandam? Quod si fieri nequit, quid sibi vult facilitas '*ἐπὶ πολλὰ ταῖς χρείαις ἀμειβομένη*'? Quae cum ita sint, in capitis 1 fine duo membra inter se plane contraria conectuntur, uti duo excerpta auctorem conglutinasse consentaneum sit, quorum alterum optime cum commentatione 'De tranquill. an.' congruit ibique locum suum tenere potest, praesertim cum simillimae cogitationes ibi exstent (c. 4², 5, 6¹; cf. e. g. c. 4: '*τοὺς βίους αἱ διαθέσεις συνεξομοιοῦσιν αὑταῖς*').

Illustratur autem illa *εὐτροπία* vulpis et pardi coram iudice '*περὶ ποικιλίας*' certantium lite, et excipitur vulpis oratio alia oratione, quam hominem secum ipso habere deceat. — Nec vero duae hae orationes certo rationis vinclo cohaerent, sed unam propter *ποικιλότητα* et vulpini et humani animi rhetorica, ni fallor, causa coniunctae sunt. Nam altera hac oratione ab ipso homine habita

1) Cf. 'De virt. mor.' 7 init. '*ἄσφυκτον καὶ ὑγιαῖνον*'.

2) Non recte Giesecke p. 111 haec omnia quae exposui Aristonei coloris specimina esse conicit. Etiam alios Stoicos, maxime Chrysippum, corporum morbos cum animi morbis comparasse ex Cicerone (Tuscul. V 23) accipimus. Cf. H. Weber l. s. s. p. 60.

Plut. ad capitis 1 indolem redit, easdem cogitationes quas ibi delineaverat fusius continuans, cum denuo demonstrat τὰ πάϑη ex ipso animo nostro oriri. Accedit aliud argumentum: in capite 1 corpus eiusque morbi animo eiusque perturbationibus opponuntur, idemque fit in capite 2 l. l. — Quae cum ita sint, facere non possumus quin statuamus Plutarchum sententiam illam ad animi facilitatem spectantem inseruisse deliberationibus plane aliis, quae ad humanorum malorum causas intellegendas pertinent.

Iam exponit, Democriti vestigia premens, animum esse quasi aerarium permultis malis refertum quae non aliunde in eum influant sed ex ipso vitio nostro nascantur, cum dicit: 'ἃς (scil. malorum fontes) ἀνίησιν ἡ κακία', nec aliam sententiam amplectitur c. 1 fin.: 'κακία . . περὶ ψυχὴν ἔργον ἐστὶ πρῶτον, εἶτα πάϑος αὐτῆς.' — Ut nostrum maxime animum inspiciamus Plut. praecipit 'De tranquill. an.' 8, 9 fin., 14, 15; 'De exilio' 2, 3, 4 et prae ceteris 'De tranquill. an.' 10 init., ubi legimus: 'μέγα πρὸς εὐϑυμίαν ἐστί, τὸ μάλιστα . . αὐτὸν ἐπισκοπεῖν', idemque 'De virt. et vit.' 1 postulat, ubi 'τὸ ἦϑος' 'πηγή' nuncupatur eadem ratione atque loco quem tractamus ('ἐγγείους . . πηγὰς ἐχόντων'). — 'Ταμιεῖον' ad animum conversum redit etiam 'De tranquill. an.' 14 init.

Omnia mala ex vitiis hominum effluere Chaeronensis certis verbis contendit fusiusque comprobat 'De virt. et vit.' c. 2, qua de re iam supra verba fecimus. Praeterea conferre licet 'De tranquill. an.' 11 init., ubi Plut. praecipit: 'ἐντὸς γένου ('Animine an corporis': 'ἂν δὲ σαυτὸν ἔνδοϑεν ἀνοίξῃς . .') καὶ κατόψει . . πολλὰς ἀηδίας ἐνούσας αὐτοῖς' ('Animine an corporis': 'πολυπαϑὲς κακῶν ταμιεῖον εὑρήσεις'), uti iterum tibi persuadeas hos duos libros admodum inter se affines esse. Sic noster in utraque commentatione concedit esse nonnulla mala minoris momenti quae natura nobis mittat; cf. 'Animine an corporis' 1: 'νόσος μὲν γὰρ ἐν σώματι φύεται διὰ φύσιν'; c. 2: 'τὸ σῶμα νοσήματα καὶ πάϑη φύσει τ' ἀνίησιν' = 'De tranquill. an.' 11 init.: 'πολὺ τὸ δύσζηλον ἡ φύσις ἔχουσα καὶ τὸ βάσκανον'; c. 17 init.: 'τῶν ἀβουλήτων τὰ μὲν φύσει τὸ λυποῦν καὶ βαρῦνον ἐπιφέρει.'

Ista commenta in libello de quo agimus excipiuntur comparatione illa nobis iam satis nota inter corporis et animi morbos instituta, quos ea prae ceteris in re inter se differre accipimus quod *illos quidem certis indiciis* praesentire et cognoscere possimus, hi *vero nos fugiant, ut* multo gravius periculum nobis afferant, *quoniam homo animo* aegrotans 'οὐκ ἔχει κρίσιν, ἐν οἷς πάσχει,

πάσχει γάρ, ᾧ κρίνει'. Ad verba '*τὰ μὲν ἐν σαρκὶ νοσήματα*' cf. 'De tranquill. an.' 17 init., 'De exilio' 1 fin., qui loci ex Menandro deprompti sunt, et 'De virt. et vit.' 3 init.

Continuatur animi et corporis malorum comparatio in capite 3, ubi Plut. docet eum morbum pessimum esse cuius nullum habeamus sensum.

Omnium malorum turpissimum ei videtur '*ἡ ἄνοια, δι' ἧς ἀνήκεστος ἡ κακία τοῖς πολλοῖς συνοικεῖ καὶ συγκαταβιοῖ καὶ συναποθνήσκει*'. Idem simillima ratione de vitio semper in homine habitante exponitur 'De virt. et vit.' 2, ubi vitium hominum '*σύνδειπνος καὶ σύγκοιτος*' dicitur et voci '*συνοικεῖ*' respondet participium '*συνοικοῦσα*'. — Praeterea commemorandum est Plutarchum non solum '*ἄνοιαν*' ut gravissimum malum sugillare, sed pari modo 'De tranquill. an.' c. 17 ut summa *εὐθυμίας* adminicula praedicare '*μαθήματα καὶ λόγους*'.

Sub capitis fine febris exemplo comprobatur morbos '*μετ' ἀναισθησίας*' graviores esse quam eos qui cum sensu quodam coniuncti sint.[1]) Saepius noster ad febrem alludit in omnibus fere his scriptis; e. g. 'De tranquill. an.' 8 init., 'De virt. et vit.' 4 fin., 'An virtus' 3 init.

In capite 3 accuratius demonstrari '*τὰ πάθη ψυχικά*' maximi esse periculi iam indicavi; in singulis Stoici perstringuntur propter nimiam virtutum molem quam excoluerint.[2]) — Paulo infra (501 C med.) Euripidis Orestes (v. 258) laudatur uti 'De tranquill. an.' 2 init., quo loco sequuntur verba '*κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι φάρμακον ἀπονία*' iam supra collata. — In sequentibus *τὰ πάθη* definiuntur ut '*σφοδρότητες ὁρμῶν· διὸ τὴν ψυχὴν ἠρεμεῖν οὐκ ἐῶσιν*'. — Similiter nimia cupiditatis vis describitur 'De virt. et vit.' 2 fin., ubi edocemur vitium posse '*κινεῖν μόνον καὶ διαγριαίνειν τὰ πάθη*'[3]); cf. etiam 'De tranquill. an.' 7 fin.: '*αἱ γὰρ σφοδραὶ περὶ τὰ πράγματα πτοῖαι . . ἐγγεννῶσιν . . δυσκολίας*' et c. 12 init.: '*ἡ φιλαντία ποιοῦσα . . . πάντων ἐπιδραττομένους ἀπλήστως.*' — '*Ἠρεμεῖν*' idem significat atque voces *γαλήνη, εὐδία, ἡσυχία* in libris 'De tranquill. an.' et 'De virt. et vit.'

1) Cf. 'De tranquill. an.' 2 init.: '*κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι φάρμακον ἀπονία*'. Ceterum Plut. versum poetae tragici ignoti (Nauck, frg. adesp. 361) affert, quo utitur etiam 'De audiendo' 12; 'De cohib. ira' 6; 'De garrul.' 1; 'Quaest. Sympos.' III 9, 1.

2) De Agaves exemplo cf. Giesecke p. 112 (cf. etiam Horatii sat. *II 3, 303 sq.*).

3) *Cf.* '*De* tranquill. an.' 1 fin., 'De virt. mor.' 7, 446 DE.

In capitis 3 fine haec vitia enumerantur: *θυμοί, φιλονεικίαι, ἔρωτες, λῦπαι.* Iterum habes pluralis formam satis memorabilem, quam, ut alia omittam, 'De tranquill. an.' 2, 465 D invenimus ('*λῦπαι*'). Praeterea pluralis ibid. exstat in capite 7, ubi voci '*θυμοί*' respondent '*ὀργαί*', voci '*φιλονεικίαι*' vox '*δυσμενείας*'. Similis pluralium enumeratio 'De virt. et vit.' 2, 100 F nobis occurrit, et paulo infra *θυμός* et *ἀκολασία* castigantur (= *θυμοί* et *ἔρωτες*). Cf. etiam totius libelli de quo disputamus finem, ubi iterum reprehenduntur *θυμός, φιλονεικία, ἐπιθυμία.*

In priore capitis 4 parte animi affectiones cum tempestatibus quibus mare turbatur conferuntur, uti ipse *λογισμός* sit '*ἀκυβέρνητος καὶ ἀνερμάτιστος ἐν ταραχῇ καὶ πλάνῃ*' etc. Quae similitudo a naufragio petita in memoriam nobis revocat 'De tranquill. an.' c. 17, ubi Plut. bonum animi statum vitae gubernatorem dicit, et quod hoc loco animum variis affectionibus perturbatum cum navi in mari tempestuoso iactata confert, hoc bene cum comparatione illa concinit qua 'De tranquill. an.' c. 19 animum tranquillitate et laetitia fruentem serenum quasi placatumque mare (*εὐδίαν καὶ γαλήνην*) esse demonstrat (cf. 'De tranquill. an.' c. 17, 476 A).

Nec vero hoc loco hanc quaestionem expedire in animo est.

In altera capitis 4 parte Plutarchus vocibus '*αὐτὸς ὁ καιρὸς*' ad suae aetatis pravam condicionem alludit et, ne '*πολλὰ λέγειν τῶν παθῶν*' coactus sit, satis vivaciter tumultum describit qui quoque anno oriri solet, iudicii die a proconsule Sardes indicto.[1])

Denique addam mea ex sententia ne hanc quidem scriptiunculam a librariis detruncatam esse; immo ut tres alii libelli antea percensiti a Plutarcho ex collectaneis suis, e quibus magna ex parte etiam commentatio '*περὶ εὐθυμίας*' inscripta hausta videtur, obiter conficta est.

CAPVT VII.

De quaestiuncula, cui titulus est '*Εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν*'.

Similem in modum non publici iuris factus nec perfectus videtur libellus '*εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν*' inscriptus, nec facere possum cum Usenero (Fl. Jb. 139, 381) coniciente frag-

1) *Cf. Volkmann*, Plutarch I 62 sq.

mentum tantum nobis servatum esse plenioris commentationis, fortasse eius quae in Lampriae catalogo commemoratur sub nr. LXXXV '*Ἀμμώνιος ἢ περὶ τοῦ μὴ ἡδέως τῇ κακίᾳ συνεῖναι*'; nam mirum esset tot fragmenta quot perlustravimus in scriptis Moralibus exstare, ut rectius iudicare mihi videar omnes has commentatiunculas a Plutarcho non expolitas sed schedas esse, quibus quasi materie occasione data ad libros maiores conscribendos et exornandos uti volebat.

Nec assentiri possum Hensio (Teletea p. LXXXIX, adn.), cuius ex sententia hic libellus 'cum truncatus nec mediocriter depravatus' tum a Plutarcho prorsus abiudicandus est, quod cur putet hic homo doctissimus non satis intellego; nam totius huius quaestiunculae argumentum, quo comprobatur unam vitiositatem hominem infelicem reddere, fortunam nihil contra sapientem valere, cum omnium libellorum supra tractatorum indole tam bene convenit, ut mihi quidem eodem fere tempore et ab eodem auctore atque illi conscripta esse videatur.

Nec eo Hense niti potest quod Cynicam haec commentatio redolet doctrinam; nam Cynicorum apophthegmata quae profert non ignota fuisse Chaeronensi ex aliis eius scriptis elucet, quo accedit quod partim eaedem partim similes historiolae atque in hoc volumine de Diogene, Metrocle, Cratete, Theodoro atheo, Socrate etiam in libris 'De tranquill. an.' et 'De exilio' narrantur. Et cum haud male Hense evincere studet non dubitare licere 'quin ex Bione sumpserit auctor colores haud ita paucos', nonne hoc bene quadrat in suam, Heinzii, Gieseckii sententiam, secundum quam Borysthenita fuit praeter Aristonem Stoicum primarius Plutarchi auctor?

At iam ad ipsum libellum quem tractamus paucis examinandum nos accingamus.

In primo capite noster — similiter atque in libello 'De fortuna' — principium petit a versu quodam Euripideo (frg. 775 N); at capitis initium male mutilatum est, pari modo atque libri 'De philosophando cum principibus' prima verba, quae nullo modo restitui possunt. Exponebatur autem ibi sine dubio homines qui externorum bonorum satis caducorum causa fortunae subditi fierent corpus suum quasi vendere stultissima ratione, cum illorum bonorum, ubi ea accepissent, '*ἀπολαῦσαι δι' ἀσχολίαν*' non possent.

Fortuna personata inducitur ut 'De tranquill. an.' 17 et saepius, qua de re postea agemus; hoc loco id tantum moneam aptum esse hunc usum Plutarchi stilo nec necessario Cynicum prodere auctorem.

Totius libri cardo in eo versatur quod comprobatur sufficere vitium ad homines infelices reddendos; nonne eadem sententia accuratius adumbratur 'De virt. et vit.' c. 2, ubi Plut. etiam contrarium demonstrat ad veram beatitudinem nihil nobis opus esse nisi virtutem? Idem profitetur 'De tranquill. an.' c. 19 nec non 'Animine an corporis etc.' l. l. nobis persuadere vult ipsum animum infelicitatis suae unicam esse causam. Quae cum ita sint, comprobari nequit hunc librum Plutarcho suppositum esse; immo cum aliis scriptis quae supra perscrutati sumus arctissimo filo coniunctus est. At Tantali exemplum, quocum homo qui nimia cupiditate vexatus nulla re frui potest confertur, Bionem indicare Hensio videtur, quia etiam Teles, Bionis assecla, p. 25, 5 (ed. Hense) simili ratione Tantali exemplo utatur.[1]) — Cui coniecturae adstipulari non possum eam maxime ob causam quod Plut. Tantalo 'ἀσχολίαν' opprobrio vertit; intima autem Plutarchi ex sententia otium, quod 'σχολή' vel 'ἠρεμεῖν' vel 'γαλήνη' nuncupat, ad beatam vitam necessarium est (cf. 'De tranquill. an.' 6; 'De exilio' sparsim; 'De virt. et vit.' 3; 'Animine an corporis' 3), uti sine eo nullo bono frui possimus, et similiter atque hoc loco etiam 'De virt. et vit.' c. 4 exponitur divitias cum 'ἀπληστίᾳ' coniunctas inutiles esse. Quod autem Chaeronensis hanc sententiam Tantali exemplo illustrat non mirum est; nam Tantalum Graecis prae ceteris specimen fuisse nimiae cupiditatis satis notum est, ut facillime Plut. ipse in hoc exemplum incidere potuerit nec opus ei fuerit Cynicis auctoribus.[2])

Sequitur historiola de Sicyonio illo Homerico (Ψ 297 sq.) enarrata qui Agamemnoni equam dono dabat, ut bello liber fieret, quam narratiunculam Hense iterum ad Bionem refert, quippe qui saepius Homeri versus accersiverit (!).[3]) At etiam hoc exemplo Plut. nihil nisi εὐπορίαν seu σχολὴν ἄλυπον comprobare studet (cf. etiam 'De exilio' 3, 600 A, ubi vox 'εὐπορία' usurpatur, et 'De tranquill. an.' c. 14, 473 D).

In eis quae sequuntur auctor noster demonstrat permultos esse homines qui perperam credant eum tantum esse 'ἄλυπον' qui

1) Cf. Horatii Sat. I 1, 68. Heinze, De Horatio Bionis imitatore p. 20.

2) Giesecke p. 74 censet Aristonem Chium prae ceteris Tantalum adamasse, non Bionem, ut Heinze et Hense putant.

3) Bio non solebat, ut Plut. l. l. facit, Homerum afferre tantum ad suas sententias comprobandas; sed quam maxime facetiis suis eum illusit. Cf. Schol. ad Horat. Sat. II 2, 60. Wachsmuth, Sillographi p. 77. Henr. Weber, l. l. p. 27 sq. — Eodem Sicyonii exemplo Plut. etiam 'De *poet. aud.' 12 init.* utitur.

'πρακτικός' sit, et commemoratione dignum videtur Plutarchum plane alia proferre 'De tranquill. an.' c. 2, ubi eos vehementer perstringit qui 'τὸ εὐθυμεῖν' coniunctum esse necessario cum 'ἀπραξίᾳ' putent. — At is tantum qui obiter rem examinat suspicari potest Plutarchum his duobus locis sententias profiteri sibi repugnantes, cum hic commendet quietem, ibi activam vitam laudibus efferat; immo utroque loco iudicium fert iusto acrius; revera hi duo loci inter se conectendi sunt, cum 'τὸ ἄγαν' solum ('De tranquill. an.' c. 16 init.) auctor vituperare et tollere velit et 'De tranquill. an.' 2 quidem nimiam inertiam, contra 'An vitiositas' 1 fin. nimiam sedulitatem respuat. — Accedit quod libellus quode agimus in singulis bene cum illa dissertatione concordat; castigantur enim loco quem tractamus ei qui apud reges et proceres honores captant et 'ὠθοῦνται δι' αὐτῶν εἰς αὐλὰς καὶ προπομπὰς καὶ θυραυλίας', quibuscum verbis conferas 'De tranquill. an.' 3, 466 C: 'διὰ ταῦτα προαγωγὰς ἐν αὐλαῖς διώκουσι'. Eiusmodi homines Plutarcho inani spe agitari et vexari videntur ('πλανᾶται τριβόμενος ἔν τισιν ἐλπίσιν καὶ προπηλακιζόμενος'); nec aliter invehitur in homines ineptae spei deditos 'De tranquill. an.' c. 18 fin. et c. 19 init.

Praeterea in utraque commentatione eos impugnat qui sua condicione numquam contenti aliis semper invident. Cf. 'De tranquill. an.' c. 3: 'προαγωγὰς ... διώκουσι καὶ παρελθόντες εὐθὺς βαρύνονται', quibus verbis egregie respondet 'An vitiositas' c. 1 fin.: 'ἂν δὲ καὶ τύχῃ τινός, ὧν ποθεῖ, περιενεχθεὶς καὶ σκοτοδινιάσας πρὸς τὸν τῆς τύχης πεταυρισμὸν ἀπόβασιν ζητεῖ', et cum sequentibus verbis 'μακαρίζει τοὺς ἀδόξους καὶ ἀσφαλῶς ζῶντας' (cf. 'De tranquill. an.' l. l.: 'φεύγουσι τὴν ἀγοράν, εἶτα τὴν ἡσυχίαν οὐ φέρουσι') bene conspirat 'De tranquill. an.' 10 init., ubi pro voce 'μακαρίζει' usurpatur 'εὐδαιμονίζουσιν' (cf. autem paulo infra 470 E fin. 'μακαρίζουσι').

Accedit aliud. 'An vitiositas' l. l. Plut. contendit homines potentia quadam praeditos ἀδόξοις invidere, ἀδόξους contra eis qui se superiores sint, nec aliter iudicat 'De tranquill. an.' 10, ubi cf.: 'πρὸς τοὺς ὑπερέχοντας ἀντιπαρεξάγουσιν' = 'An vitios.': '(τὸν) ὑπὲρ αὐτοὺς φερόμενον'. 'De tranquill. an.' l. l. occurrunt haec: 'τῶν ὑπὲρ ἑαυτοὺς ἐνδεεῖς ὄντες' = 'An vitios.': 'ὑπὲρ αὐτούς'. Antecedunt in l. 'An vitios.' verba 'ἄνω βλέποντες', quibuscum cf. 'De tranquill. an.' 9 fin.: 'ἔξω βλέποντες'.

At 'De tranquill. an.' c. 10 init. deest sententia libri 'An vitios.' loci de quo agimus propria, qua edocemur alterum alterius, suam

neglegentem, exoptare condicionem eamque, ubi adeptus sit, iterum respuere. — Contra eandem sententiam 'De tranquill. an.' c. 3 adumbrari supra vidimus, ut hi tres loci dilucide se suppleant et amplificent et iterum manifestum sit non recte homines doctos commentatiunculam 'An vitiositas ad infelicitatem sufficiat' inscriptam a Plutarcho abiudicare.

In capite 2 auctor noster fusius demonstrat unice vitium homines in infortunia intrudere, uti sit '*πυρὸς ἡ κακία καὶ σιδήρου βιαιοτέρα*'. Idem exponi 'De virt. et vit.' 2—4, ubi (100 F) e. g. vox '*διατίθησι*' simili notione atque l. l. usurpatur, et 'Animine an corporis' c. 2 iam supra vidimus; prae ceteris autem viva ratio, qua vitium quasi hostis in animum invadens eumque captum tenens describitur, in memoriam nobis revocat 'De virt. et vit.' c. 2, ubi cf. verba '(*κακία*) *συνοικοῦσα τοῖς σπλάγχνοις*' = 'An vitios.': '(*κακία*) *συνελθοῦσα τῇ ψυχῇ*'.

In eis quae sequuntur Plut. docet vitium homines quasi tormentis vexare; iam cf. 'De tranquill. an.' 19, 477 A. Ibid. (476 F) legimus: '*ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος, τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐναργάζεται δακνομένης .. τῆς ψυχῆς καὶ κολαζομένης ὑφ' αὑτῆς.*' Pari modo auctor 'An vitios.' l. l. negat hominem seu tristitia seu timore seu paenitentia exagitatum miseram animi condicionem tollere posse. Alludit igitur ad paenitentiae vim et crudelitatem, quippe quae nos cogat '*βοῆσαι*' et '*τριχῶν λαβέσθαι*' etc., idemque fere profert 'De tranquill. an.' 19, 476 F, ubi *μετάνοιαν* in animo nostro sedentem '*αἱμάσσουσαν καὶ νύσσουσαν*' describit. In eodem capite paulo infra contendit culpae conscientiam hominem facere '*ἐπιθρηνούμενον τοῖς ἁμαρτανομένοις*', nec aliter 'An vitios.' l. l. accipimus vitium animum lacrimis ('*θρήνων*') implere. Praeterea quam maxime huc quadrat 'De tranquill. an.' 20, 477 E, ubi homines '*ἐν ὀδυρμοῖς τὰ πολλὰ καὶ βαρυθυμίαις καὶ μερίμναις ἐπιπόνοις διατρίβοντες*' perstringuntur. Verbo '*διατρίβοντες*' respondet 'An vitios.' l. l.: '*συνέτριψε*', voci '*βαρυθυμίαις*': '*βαρυθυμίας*', ut utroque loco lacrimae et *βαρυθυμία* coniunctae sint. — Etiam '*λύπη*' in l. 'An vitios.' ad vitium refertur — cf. 'De tranquill. an.' 19: '*λύπας*'. *Λῦπαι* et *θυμοί* coniuncta sunt 'Animine an corporis' c. 3 fin.; iracundia etiam in libello quem tractamus vitiis assignatur, nec non *φόβος*, de quo vide 'De virt. et vit.' 2, 100 F. — Similia commenta, quae multo maioris momenti sunt, ultimo huius libelli capite continentur; at priusquam haec exhaurire possumus, ea quae antecedunt brevissime percurrere oportet.

Capitis 3 prae ceteris indole permoti homines docti[1]) statuerunt hanc commentationem petitam esse ex Cynicorum et maxime Bionis scriniis; fingitur enim in hoc capite certamen coram iudice actum, quo *Κακία* et *Τύχη* ut vivae personae certant, utra celerius hominum vitam miseram reddere possit. Eadem igitur interrogandi et certandi ratio usurpatur atque in libello 'Animine an corporis etc.' De ipso huius capitis argumento, quo comprobatur omnem fere potentiam penes vitiositatem, nullam penes fortunam esse, post ea quae de aliis Plutarchi voluminibus exposui verba facere supersedeo; disserendum nobis est de forma.

Uti civitates locationem templorum vel colossorum proscribere solent artificesque audiunt de opere conducendo certantes, sic Plut. fingit publice scripto proposito *ἔκδοσιν* 'proscriptam esse, qua invitentur ei qui vitam humanam ut miseram reddant operam dare velint, et venire ad hanc '*ἐργολαβίαν*'[2]) *Τύχην* et *Κακίαν*.

Eodem modo apud Plutarchum personatum invenimus vitium in huius libri capp. 2, 4, 5, 'De virt. et vit.' 2, 'Animine an corporis' 2 et saepius. — Simili ratione '*τὰ πράγματα*' loquentia introducuntur 'De exilio' c. 1, '*ὁ λογισμός*' 'De tranquill. an.' c. 16.

Haec consuetudo abstractas res voce induendi, personatas in publicum vocandi Cynicis quam maxime familiaris erat[3]), id quod perpaucis tantum exemplis comprobare mihi liceat. Apud Teletem '*περὶ αὐταρκείας*' 5, 11 (ed. Hense) Diogenes dicit se *Κακίας* vocem audivisse '*ἑαυτὴν αἰτιωμένην*'·

'*οὔτις ἐμοὶ τῶν δ' ἄλλος ἐπαίτιος, ἀλλ' ἐγὼ αὐτή.*'[4])

In eodem Teletis fragmento (p. 3, 2 Hense) inducitur etiam *Τύχη* ut '*ποιήτρια*' cuique homini quasi mimo suum *πρόσωπον* praebens, quae comparatio[5]) Telete teste a Bione Borysthenita conficta est reditque etiam in Teletis libri '*περὶ περιστάσεων*' epitoma p. 40, 1 H. Idem Teles etiam '*περὶ ἀπαθείας*' 48, 3 H. ho-

1) Cf. Usener, l. l. Giesecke p. 89.

2) Cf. '*ἐργολαβοῦντα*' apud Teletem 16, 16 (ed. Hense).

3) Nuperrime Henr. Weber l. l. p. 22, 44, 60 sq. de hac re disputavit; at more suo Cynica cum talibus quae ne umbram quidem Cynici auctoris prae se ferunt commiscuit. Cf. etiam Hirzel, Der Dialog I, 372 sq. 378, 2.

4) Hic versus detortus ex Homeri versu J. 335 notissimus fuisse videtur; nam exstat etiam apud Plutarchum, 'De tranquill. an.' 19, 477 A et apud Stobaeum, Floril. 24, 15.

5) *Duemmler* (Academica p. 6; 94, 1) cogitat de Archelao, Antisthenis *dialogo*; cf. Gercke, Archiv für Geschichte der Philosophie V, 210.

minem contra *Τύχην* loquentem facit. — Nec non Bio — ut Plut. — etiam *τὰ πράγματα* hominum more loqui fingebat (Teles p. 3 et 4 Hense) et *Πενίας* composuit orationem (ibid. p. 4, 6; 5, 7).

Nec vero mihi persuadere possum Chaeronensem totum in hoc vivo loquendi genere pendere a Cynicis; nam nemo est quin sciat iam sophistas, veluti Prodicum, talia admodum amasse, et nostro iure Platonem conferre possumus, qui in Critone Socratem legum orationem cum amicis communicantem facit. Cleanthem Stoicum voluptatis et virtutum, Chrysippum iustitiae imaginem excogitasse decantatum est.[1]) De Crantore vide Hirzel, Der Dialog I, 372.

Quae cum ita sint, rectius conicias Plutarchum non auctorem quendam Cynicum sequi, sed, cum semper solitus sit scripta sua variis coloribus depingere, ipsum hanc Vitiositatis et Fortunae certamen excogitasse. Accedit quod simile corporis et animi certamen invenimus 'Animine an corporis' c. 1, ubi iterum '*ἀγών*' describitur de eadem plane quaestione institutus, utrum '*διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν*' (cf. c. 2).

Quam quaestionem in hoc libello solum delineatam commentatio 'An vitiositas' fusius amplificat. Ergo idem est utriusque scripti argumentum eademque est forma, ut denuo pateat non licere homini via ac ratione progredienti alterum Plutarcho vindicare, alterum pro supposito habere. *Τύχη* multis instrumentis instructa est, quibus homines se cruciaturam minatur quaeque in memoriam revocant illa '*τὰ ἐκτός*' quibus plerique homines vexentur (cf. 'De tranquill. an.' 5 init., 6, 17; 'Animine an corporis' 1; 'De exilio' 2). — Vitiositas contra caret omnibus rebus exteris ('*μηδενὸς δεομένη τῶν ἔξωθεν*'). — Accedit quod ne laetitiam quidem egere externis rebus elucet ex libri 'De virt. et vit.' capite 1 ('*τὸ δ' ἡδέως ζῆν καὶ ἱλαρῶς οὐκ ἔξωθέν ἐστιν*'), et idem cadere in *Κακίαν*, cui et ipsi alienis rebus non opus sit, Plut. loco de quo agimus comprobare studet.

Sequitur longa Vitiositatis oratio, qua singula mala quibus fortuna homines in infimam infelicitatem se detrusuram gloriatur singillatim refellit. Eandem argumentandi rationem deprendimus 'De tranquill. an.' c. 4 et prae ceteris c. 6, ubi pari modo singulorum malorum consolationes proferuntur et ipsa mala sic reiciuntur, ut Plut. clarorum virorum exemplis demonstret ea nullam fere vim habere.

1) *Cf. Henr. Weber*, l. l. p. 60 sq. Hirzel, Der Dialog I, 373.

Ipsa exempla in l. 'An vitiositas' magna ex parte Cynica sunt; nec vero licuit Gieseckio (p. 69) hanc ob causam conicere Plutarchum Borysthenitam sequi, praesertim cum etiam Socrates, Decius Romanus, Indorum gymnosophistae qui dicuntur a Plutarcho collaudentur.

Ac primum quidem reicitur paupertas Metroclis Cratetei exemplo; nec aliter Plut. negat paupertatem malum esse 'De tranquill. an.' c. 6 et 'De virt. et vit.' c. 1 fin. — Sequuntur '*δουλεία καὶ δεσμὰ καὶ πρᾶσις*', quae nihil ad beatitudinem nostram debilitandam valere Diogenis dicto quodam comprobatur, quo etiam Musonius usus est[1]) cuique simile habes 'De tranquill. an.' c. 4. Quo loco Diogenis apophthegma Socratis in carcere cum amicis philosophantis exemplo excipitur, nec non 'An vitios.' l. l. Diogenem sequitur Socrates '*μάλ' εὐκόλως*' poculum veneno repletum exhauriens. 'De tranquill. an.' l. l. accipimus Socratem ante mortem philosophatum esse cum discipulis; hoc loco solum commemoratur aequo ac sereno animo eum mortuum esse; utrumque coniungitur in libelli 'De exilio' exordio ('*Σωκράτης δὲ φάρμακον πίνων ἐφιλοσόφει*'), quem locum ex eodem atque librum 'De tranquill. an.' commentario effluxisse supra exposui, ad quem etiam hunc scriptiunculae 'An vitios.' locum referre possumus.

Nimirum huius capitis quod examinamus exempla Chaeronensis ex variis collectaneis contexuit; sic Socratis et Diogenis enuntiata ex uno excerpto petivit; contra ea quae sequuntur aliunde sine dubio sibi assumpsit; mortem enim igne acceptam malum esse negat Decii et Indorum (cf. Cic. Tuscul. V 78) exemplis allatis.

Maioris momenti sunt ea quae sequuntur, ubi auctor operam dat ut nobis persuadeat minime pro malo habendum esse, si '*ἐξ οὐσίας λαμπρᾶς καὶ οἴκου καὶ τραπέζης καὶ πολυτελείας εἰς τρίβωνα καὶ πήραν καὶ προσαίτησιν ἐφημέρου τροφῆς*' inciderimus, quoniam haec fuerint '*εὐδαιμονίας ἀρχαὶ Διογένει, ἐλευθερίας Κράτητι καὶ δόξης*'.

Aperte huc spectat 'De tranquill. an.' c. 4 init.: '*Κράτης δὲ πήραν ἔχων καὶ τρίβωνα παίζων .. ὥσπερ ἐν ἑορτῇ τὸν βίον διετέλεσε.*' In eiusdem libri capite 19 legimus: '*οἰκία πολυτελής*' = 'An vitios.': '*οἴκου καὶ πολυτελείας*'. '*Οἰκία*' redit etiam 'De virt. et vit.' 1 (cf. c. 4 init.: '*οἰκοδόμει περιπάτους*'); contra '*τραπέζας*' nobis suppeditat 'De fortuna' c. 5 fin., ubi etiam adiectivum '*πολυτελεῖς*' occurrit. 'De virt. et vit.'

1) '*Περὶ φυγῆς*' apud Stobaeum, Flor. II 74, 15 sq. Meineke.

c. 1, 100 C et c. 4 init., 'De fortuna' c. 5, 99 E, 'De tranquill. an.' c. 19, 477 A ex uno eodemque commentario deprompta esse supra nobis persuasimus, eidemque commentario quin 'An vitios.' c. 3, 499 CD verba 'ἀλλ' ἐξ οὐσίας' usque ad 'Κράτητι καὶ δόξης' assignanda sint eo minus dubitare possumus, quod loco quo servata sunt sententiarum nexum male perturbant, cum in prioribus et in eis quae sequuntur de variis mortis generibus disseratur; qua re comprobatur Plutarchum ex collectaneis suis non satis apte — pari modo atque 'De fortuna' c. 5 fin. (cf. supra p. 100 sq.) — haec verba inseruisse; aliter enim intellegere non possumus, cur sententiarum ordinem tam male dilaceraverit, nisi statuimus eum conglutinasse varia excerpta nullo vinculo inter se coniuncta et incidisse in volumen quoddam quo hominum clarorum contra mortem constantia compluribus exemplis illustrabatur; nam equidem alias perspicere non possum, cur tam diu haereat in crudelibus necibus enarrandis, quae ad rem haud multum valent.

Sic sub capitis fine Theodori athei exemplo demonstrat revera non esse malum in crucem vel ad palum affigi. Quod Theodori dictum pervulgatum erat; nam usurpatur etiam 'De exilio' c. 16, 606 B et a Cicerone, Tuscul. I 42. Etiam Teles, 'περὶ φυγῆς' p. 23, 3 H. Theodori nomine omisso ad illud enuntiatum alludit. — Deinde Plut. nonnulla de Scytharum[1]), Hyrcanorum, Bactrianorum[2]) consuetudine mortuos sepeliendi addit, quae in totius capitis argumentum minime quadrare iam e sequentibus verbis elucet: 'τίνας οὖν ταῦτα κακοδαίμονας ποιεῖ;', quae non ad istos flosculos undique collectos spectare possunt, sed ad ipsa mala in capitis 3 priore parte reprobata. Ceterum talia collectanea quibus varia sepulturarum genera describebantur vulgata fuisse ex Teletis 'περὶ φυγῆς' libro apparere videtur, ubi similia atque apud Plutarchum l. l. enarrantur.[3])

Iam nos convertamus ad c. 4, ubi Chaeronensis denuo sententiam illam satis superque nobis notam secutus explicat fortunae,

1) Quae Plut. de Scythis profert apud Teletem desunt et petita sunt ex Herodoto IV, 71.

2) Cf. Teles, 23, 3 H.

3) Bionem commentarium 'περὶ ταφῆς' scripsisse a Telete expilatum (i. g. coniecerunt Hense, l. l. p. LXXXVIII, Giesecke, l. l. p. 28) satis improbabile esse mihi videtur; contra talem libellum Chrysippum composuisse constat, a quo pendent Cicero, Tuscul. I 107 sq. et Sextus Empir. III 226 sq. Cf. Hense, l. l., ubi aliorum hominum de hac quaestione inventa laudantur.

vitio non adiuvante, contra homines nullam esse vim (*'οὐκοῦν οὐκ ἔστιν ἡ τύχη κακοδαιμονίας τελεσιουργός, ἂν μὴ κακίαν ἔχῃ συνεργοῦσαν'*). — Sub capitis fine Plut. exponit nihil nocere nobis posse *τύχην*, nisi habeamus *'ἴδιον ἕλκος ἐν ἑαυτῷ καὶ κακὸν ... ἐντὸς σαρκός, ὅπως τὰ προσπίπτοντα ἔξωθεν οἰκτρὰ καὶ ὀδυρτὰ ποιήσῃ'*.

Plane eadem exstat sententia 'De virt. et vit.' c. 2. Praeterea quam maxime huc quadrat 'Animine an corporis' c. 2, ubi similiter *'ἐντός'* et *'ἔξωθεν'* sibi opponuntur et praeterea legimus: *'τὰ ἐν σαρκὶ νοσήματα'* = 'An vitios.' l. l.: *'κακὸν ἐντὸς σαρκός'*.

Restat ut quam brevissime duas alias commentationes perlustremus, in quibus Plutarchus de doctrina sua morali in universum disputat: dico libros *'Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος'* et *'Περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς'* inscriptos. Nec vero in animo est has duas dissertationes hoc loco exhaurire; sed ea tantum commemorare mihi proposui quae cum libellis supra adumbratis conveniunt.

CAPVT VIII.

De dissertatione, quae inscribitur *'Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος'*.[1]

Atque in priore quidem volumine, quod Sossio Senecioni amico Romano dedicavit, Plut. Stoicam illam doctrinam impugnat qua docebatur nos nullo modo facere posse, ut in virtute progrediamur (*'ἐν τῷ φιλοσοφεῖν οὔτε προκοπὴν οὔτε τινὰ προκοπῆς αἴσθησιν εἶναι'*).[2]

Ut in aliis commentatiunculis quas excussimus sic etiam in hoc scripto auctor non tam subtilibus ratiocinationibus intimam doctrinam suam evolvere et comprobare quam amicos ad honestiorem beatioremque vitam adducere studet.

In capitis 1 initio nobis verba occurrunt: *'ἡ κακία πᾶσιν περιτιθεμένη'* = 'An vitios.' 2 init.: *'ἡ κακία διατίθησι πάντας ἀνθρώπους'*. — In eis quae sequuntur exponitur discipulum non posse progredi *'ἐν μουσικοῖς ἢ γραμματικοῖς'*, nisi quid novi

1) Disputavit de hoc libro J. H. Mücke, 'De Plut. duce, quomodo suos quisque in virtute profectus possit animadvertere', Lipsiae 1791.

2) *Cf. 'De communibus notitiis'* c. 9 et 10. Zeller III 1, p. 255 sq. *270 sq.*

c. 1, 100 C et c. 4 init., 'De fortuna' c. 5, 99 E, 'De tranquill. an.' c. 19, 477 A ex uno eodemque commentario deprompta esse supra nobis persuasimus, eidemque commentario quin 'An vitios.' c. 3, 499 CD verba 'ἀλλ' ἐξ οὐσίας' usque ad 'Κράτητι καὶ δόξης' assignanda sint eo minus dubitare possumus, quod loco quo servata sunt sententiarum nexum male perturbant, cum in prioribus et in eis quae sequuntur de variis mortis generibus disseratur; qua re comprobatur Plutarchum ex collectaneis suis non satis apte — pari modo atque 'De fortuna' c. 5 fin. (cf. supra p. 100 sq.) — haec verba inseruisse; aliter enim intellegere non possumus, cur sententiarum ordinem tam male dilaceraverit, nisi statuimus eum conglutinasse varia excerpta nullo vinculo inter se coniuncta et incidisse in volumen quoddam quo hominum clarorum contra mortem constantia compluribus exemplis illustrabatur; nam equidem alias perspicere non possum, cur tam diu haereat in crudelibus necibus enarrandis, quae ad rem haud multum valent.

Sic sub capitis fine Theodori athei exemplo demonstrat revera non esse malum in crucem vel ad palum affigi. Quod Theodori dictum pervulgatum erat; nam usurpatur etiam 'De exilio' c. 16, 606 B et a Cicerone, Tuscul. I 42. Etiam Teles, 'περὶ φυγῆς' p. 23, 3 H. Theodori nomine omisso ad illud enuntiatum alludit. — Deinde Plut. nonnulla de Scytharum[1]), Hyrcanorum, Bactrianorum[2]) consuetudine mortuos sepeliendi addit, quae in totius capitis argumentum minime quadrare iam e sequentibus verbis elucet: 'τίνας οὖν ταῦτα κακοδαίμονας ποιεῖ;', quae non ad istos flosculos undique collectos spectare possunt, sed ad ipsa mala in capitis 3 priore parte reprobata. Ceterum talia collectanea quibus varia sepulturarum genera describebantur vulgata fuisse ex Teletis 'περὶ φυγῆς' libro apparere videtur, ubi similia atque apud Plutarchum l. l. enarrantur.[3])

Iam nos convertamus ad c. 4, ubi Chaeronensis denuo sententiam illam satis superque nobis notam secutus explicat fortunae,

1) Quae Plut. de Scythis profert apud Teletem desunt et petita sunt ex Herodoto IV, 71.

2) Cf. Teles, 23, 3 H.

3) Bionem commentarium 'περὶ ταφῆς' scripsisse a Telete expilatum (i. g. coniecerunt Hense, l. l. p. LXXXVIII, Giesecke, l. l. p. 28) satis improbabile esse mihi videtur; contra talem libellum Chrysippum composuisse constat, a quo pendent Cicero, Tuscul. I 107 sq. et Sextus *Empir. III 226 sq.* Cf. *Hense*, l. l., ubi aliorum hominum de hac quae-*[illegible]ne inventa laudantur.*

vitio non adiuvante, contra homines nullam esse vim ('*οὐκοῦν οὐκ ἔστιν ἡ τύχη κακοδαιμονίας τελεσιουργός, ἂν μὴ κακίαν ἔχῃ συνεργοῦσαν*'). — Sub capitis fine Plut. exponit nihil nocere nobis posse *τύχην*, nisi habeamus '*ἴδιον ἕλκος ἐν ἑαυτῷ καὶ κακὸν ... ἐντὸς σαρκός, ὅπως τὰ προσπίπτοντα ἔξωθεν οἰκτρὰ καὶ ὀδυρτὰ ποιήσῃ*'.

Plane eadem exstat sententia 'De virt. et vit.' c. 2. Praeterea quam maxime huc quadrat 'Animine an corporis' c. 2, ubi similiter '*ἐντός*' et '*ἔξωθεν*' sibi opponuntur et praeterea legimus: '*τὰ ἐν σαρκὶ νοσήματα*' = 'An vitios.' l. l.: '*κακὸν ἐντὸς σαρκός*'.

Restat ut quam brevissime duas alias commentationes perlustremus, in quibus Plutarchus de doctrina sua morali in universum disputat: dico libros '*Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος*' et '*Περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς*' inscriptos. Nec vero in animo est has duas dissertationes hoc loco exhaurire; sed ea tantum commemorare mihi proposui quae cum libellis supra adumbratis conveniunt.

CAPVT VIII.

De dissertatione, quae inscribitur '*Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος*'.[1])

Atque in priore quidem volumine, quod Sossio Senecioni amico Romano dedicavit, Plut. Stoicam illam doctrinam impugnat qua docebatur nos nullo modo facere posse, ut in virtute progrediamur ('*ἐν τῷ φιλοσοφεῖν οὔτε προκοπὴν οὔτε τινὰ προκοπῆς αἴσθησιν εἶναι*').[2])

Ut in aliis commentatiunculis quas excussimus sic etiam in hoc scripto auctor non tam subtilibus ratiocinationibus intimam doctrinam suam evolvere et comprobare quam amicos ad honestiorem beatioremque vitam adducere studet.

In capitis 1 initio nobis verba occurrunt: '*ἡ κακία πᾶσιν περιτιθεμένη*' = 'An vitios.' 2 init.: '*ἡ κακία διατίθησι πάντας ἀνθρώπους*'. — In eis quae sequuntur exponitur discipulum non posse progredi '*ἐν μουσικοῖς ἢ γραμματικοῖς*', nisi quid novi

1) Disputavit de hoc libro J. H. Mücke, 'De Plut. duce, quomodo suos quisque in virtute profectus possit animadvertere', Lipsiae 1791.

2) *Cf.* 'De communibus notitiis' c. 9 et 10. Zeller III 1, p. 255 sq. *270 sq.*

semper addiscat. Eandem sententiam noster profitetur 'De fortuna' 6 med. et 'An virtus' 1 fin. ('ψάλλειν μανθάνουσιν οἱ ἄνθρωποι .. καὶ ἀναγιγνώσκειν γράμματα .. ταῦτ' ἄνευ τοῦ μαθεῖν οὐκ ἔστι χρησίμως ποιεῖν').[1]

Deinde Chaeronensis, uti solet, corporis morbos cum animi vitiis confert, ut demonstret nos nec illis liberari posse nisi 'νοσήματος ὑπείκοντος .. αἴσθησιν' aliquam habeamus (cf. 'Animine an corporis' c. 3), nec tolli posse vitia ex animo, 'εἰ μηδὲν ἡ ψυχὴ μεθίησι μηδ' ἀποκαθαίρεται τῆς ἀβελτερίας'.[2] Similiter requirit 'De tranquill. an.' 4 fin., ut 'τὴν πηγὴν τῆς εὐθυμίας ἐν αὐτοῖς οὖσαν ἐκκαθαίρωμεν'. Cf. c. 19, 477 B 'ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων .. πονηρῶν' et 'De prof. in virtutibus' c. 3 init. 'τοῦ λόγου διαφωτίζοντος ... τὴν ψυχὴν καὶ διακαθαίροντος'. In eodem capite 3 (76 CD) Plutarchus suadet, ut a minoribus paulatim ascendamus ad maiora, idemque plane praeceptum invenimus 'De tranquill. an.' c. 18, 476 C. P. 76 D exstant verba 'τῷ παρείκοντι κατὰ σχολὴν τῆς κακίας ἐπιτιθεμένης (cf. supra 'ἡ κακία περιτιθεμένη') καὶ πρὸς τοὐναντίον ἀνθυποφερούσης', quibus *Κακία* quasi viva femina describitur, uti ad ea alludant quae supra de librorum 'An vitios.' c. 2, 3, 4, 5, 'De virt. et vit.' c. 2, 'Animine an corporis' c. 2 disputavimus. In capitis fine Plut. praedicat hominem 'ἡμέρας τε καὶ νύκτωρ ἀεὶ τῇ κακίᾳ διαμεμαχημένον', quibuscum verbis congruit 'De virt. et vit.' 2, 101 A: 'ἡ κακία .. οὐ παντάπασι ταῖς ὁρμαῖς ἐκδίδωσιν ἑαυτήν, ἀλλ' ἀντιτείνει καὶ μάχεται πολλάκις.'

Nova igitur his verbis similitudo efficitur qua *Κακία* bellum cum homine gerens fingitur, pari ratione atque 'An vitios.' c. 3, ubi *Τύχη* cum eo dimicat.

Quae similitudo variatur libelli de quo agimus capitis 3 exordio, ubi Plut. fingit hominem accinctum esse contra vitium idque mittere ad eum 'ἡδονάς τινας ἢ ῥᾳστώνας ἢ ἀσχολίας ἐπὶ σπονδαῖς', quibuscum sapientem nullo modo pacem pangere deceat. — Ἀσχολία castigatur etiam 'De tranquill. an.' 2 init.; ῥᾳστώνη ibid. c. 18 fin. et 19 init. (cf. ῥᾳθυμία 'De prof. in virt.' 4 init.). — Recogita etiam pluralia ad singula vitia significanda usurpata (cf. supra p. 110). — Similem in modum Plut. c. 5 fin. homines iubet contra vitii 'κατασπασμούς' adhibere '(τὰς) ἐξερείσεις καὶ ἀνακρούσεις τοῦ φρονήματος', quas velut milites sint

1) Cf. *Giesecke*, l. l. p. 30, adn. 1.

2) *Ἀβελτερία* exstat etiam 'De tranquill. an.' c. 11 init. et 12 init.

describit. Ceterum ultimo capitis 3 verbo 'τὸ λειπόμενον' respondet ultimum capitis 5 verbum 'τὸ ἀπολειπόμενον'. Cf. etiam c. 8, 79 F.

In capite 4 hominis amantis condicio sic describitur:

'ὅτῳ δ' ἔρωτος δῆγμα παιδικῶν'

πρόσεστι, μέτριος μὲν ἄν σοι φανείη καὶ πρᾶος ἐν τῷ παρεῖναι ... ὅταν δ' ἀποσπασθῇ καὶ χωρὶς γένηται, θεῶ φλεγόμενον ... καὶ δυσκολαίνοντα πᾶσι πράγμασι' etc. Singulae voces simili notione etiam in aliis scriptis nobis occurrunt; prae ceteris cf. 'De tranquill. an.' 7, 468 C, ubi legimus 'ἤπιος φαίνῃ καὶ μέτριος'.

In capitis 6 priore parte homines inducuntur condicionem viri in rei publicae muneribus versantis perperam praedicantes. Ubi haec prae ceteris verba animadvertenda sunt: 'ἡλικάς τινας ἐν αὐλαῖς βασιλέων εὐημεροῦντας ... ἢ κατιόντας ὑπὸ πλήθους ἐπ' ἀγορὰν εἰς ἀρχήν τινα ἢ συνηγορίαν.' — Quas res nullam veram beatitudinem praebere accipimus etiam 'An vitios.' 1, 498 C, ubi voces 'αὐλάς' et 'εὐημερίας' redeunt, eandemque sententiam invenimus 'De tranquill. an.' 3, 466 C, ubi habes 'αὐλάς' et 'ἀγοράν', et prae ceteris 'De exilio' 11, 603 F et 12, 604 B, ubi legimus 'θύραις ἡγεμόνος' = 'De prof. in virt.' l. l. 'ἐν αὐλαῖς βασιλέων'. — Paulo infra (78 C) auctor exponit haec: 'οὐ γὰρ οἷόν τε παύσασθαι ζηλοῦντας (cf. 'De tranquill. an.' c. 11 init.), ἅπερ οἱ πολλοὶ θαυμάζουσιν (cf. 'De tranquill. an.' 9 fin., 11 init.), οἷς ἂν μὴ τὸ θαυμάζειν ἀρετὴν ἐγγένηται. πρὸς μὲν γὰρ ἀνθρώπους θρασύνεσθαι καὶ δι' ὀργὴν ἐνίοις παρέστη καὶ διὰ παραφροσύνην· ὧν δὲ θαυμάζουσιν ἄνθρωποι πραγμάτων οὐκ ἔστιν ἄνευ φρονήματος ἀληθινοῦ ... καταφρονῆσαι'.

Nonne totius fere commentationis 'De tranquill. an.' indoles his verbis continetur?

Quibus cogitationibus voce 'διό', qua Plut. aliquid novi inducere solet, exempla nonnulla adduntur a Solone, Diogene, Agesilao, Aristotele, Zenone petita. Eosdem Solonis tres versus atque hoc loco Plut. etiam 'De tranquill. an.' c. 13 affert.[1]) Accedit utroque loco epistula ab Aristotele ad Antipatrum missa, qua Stagirita gloriatur se non inferiorem esse Alexandro, cum rectum habeat de deis iudicium; nec non vel singula fere ad verbum concinunt et in eo tantum differunt quod in l. 'De tranquill. an.' Chaeronensis ipsa Aristotelis verba repetit, contra 'De prof. in virt.' l. l. eorum

1) *Bergk*, P. L. Gr. II p. 47. Cf. Plut., 'De cupid. divit.' 4, 524 E.

argumentum solum refert. Comparare liceat utrumque locum inter se.

De tranquill. an.	De prof. in virt.
Ἀριστοτέλης δὲ πρὸς Ἀντίπατρον γράφων,	Ἀριστ. πρὸς Ἀντίπ. περὶ Ἀλεξάνδρου γράφων,
οὐκ Ἀλεξάνδρῳ μόνον, ἔφη,	ἔφη μὴ μόνον ἐκείνῳ προσήκειν
προσήκει, μέγα φρονεῖν, ὅτι	ὅτι πολλῶν κρατεῖ, μέγα φρονεῖν,
κρατεῖ πολλῶν ἀνθρώπων,	ἀλλ' οὐδὲν ἧττον, εἴ τις ὀρθῶς γιγνώσκει περὶ θεῶν.
ἀλλ' οὐχ ἧττον οἷς ὑπάρχει	
περὶ θεῶν, ἃ δεῖ, δοξάζειν.	

Sequitur in l. 'De prof. in virt.' Zeno qui, Theophrasto propter magnum discipulorum numerum praedicato, dixit: 'ὁ κείνου μὲν χορὸς μείζων, οὑμὸς .. δὲ συμφωνότερος', et 'De tranquill. an.' l. l. simillimum Stratonis dictum affertur, qui 'ἀκούσας, ὅτι πολλαπλασίους ἔχει Μενέδημος μαθητάς, 'τί οὖν', ἔφη, 'θαυμαστόν, εἰ πλείονές εἰσιν οἱ λούεσθαι θέλοντες τῶν ἀλείψεσθαι βουλομένων;' — Accedit tertius locus quo ad liquidum deducitur Plutarchum totam hanc exemplorum seriem ex uno commentario in suos libros transtulisse; cf. enim 'De se ipsum citra invidiam laudando' c. 16, 545 A, ubi Aristotelis litterae eisdem fere verbis atque 'De prof. in virt.' l. l. laudantur. Excipitur autem ibi haec epistula eodem Agesilai dicto quod anteit in l. 'De prof. in virt.' Comparare iterum utrumque locum liceat.

De ipsum citra invidiam etc.	De prof. in virt.
Περὶ τοῦ Περσῶν βασιλέως μεγάλου καλουμένου ὁ Ἀγησίλαος·	Ἀγησίλαος περὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως·
'τί δ' ἐμοῦ γε μείζων ἐκεῖνος,	'τί γὰρ ἐμοῦ μείζων ἐκεῖνος,
εἰ μὴ καὶ δικαιότερος;'	εἰ μὴ καὶ δικαιότερος;'

Omnibus his exemplis Plut. operam dat ut nobis persuadeat bonum hominem suam condicionem summi aestimare, aliorum commodis *non invidere*, eandemque sententiam eisdem fere exemplis comprobat *'De tranquill. an.' l. l.*, ubi dicit: 'τοὺς γὰρ οὕτω τὰ οἰκεῖα σεμνύνοντας οὐκ ἐνοχλήσει τὰ τῶν πλησίον.'

Iam constare videtur libri quem tractamus c. 6 a verbis 'διὸ καὶ ταῦτα' usque ad finem prorsus depromptum esse ex eodem auctore quo Plutarchus 'De tranquill. an.' c. 13 usus est.

In capitis 7 initio Plut. haec praecipit: 'τὰ τῆς ἀρετῆς πρὸς τὰ ἐκτὸς ἀντιτιθεὶς ὑπεκχέῃς φθόνους καὶ ζηλοτυπίας.' Eadem ratione suadet 'De tranquill. an.' 8 et 15, 474 A et 'De exilio' 4 fin., ut meliora malis admisceamus (cf. supra p. 62). Ad sententiam cf. etiam 'De tranquill. an.' c. 17 et 19. — Inter vitia refert auctor 'φθόνους καὶ ζηλοτυπίας' pluralis forma, quae iam saepius nobis innotuit, usurpata. 'Ζηλοτυπία' invenitur etiam 'De tranquill. an.' 2, 465 D, 'φθόνοι' et 'ζηλοτυπίαι' ibid. 7 init., 'φθόνος' 'De virt. et vit.' 2, 100 F.

Multo plura ex capite 10 lucramur, ubi homo 'ποιήσας τι χάριεν καὶ ἀστεῖον' nuncupatur 'τῆς ἀρετῆς γεγονὼς θεατής'; cf. 'De tranquill. an.' c. 19, 477 B 'ἐν τῇ ψυχῇ τοῦ νοῦν ἔχοντος αἱ καλαὶ πράξεις . . ἀεὶ κεχαρισμένην . . . ἐναπολείπουσι τὴν ἐπίνοιαν.' Ibid. Plut. paulo antea praedicat hominem sapientem, quia habeat 'τὴν ἐνέργειαν ἐνθουσιώδη καὶ ἱλαρὰν μετὰ τοῦ μέγα φρονεῖν', et pari modo dicit 'De prof. in virtut.' 10, 80 D fin. 'εἰκός ἐστι τὸν φιλόκαλον καὶ φιλόσοφον συνόντα διὰ τῶν πράξεων τῇ ἀρετῇ (cf. 'De tranquill. an.' l. l. 'ἀφ' ἧς — sc. virtutis — αἱ καλαὶ πράξεις ῥέουσαι') καὶ χρώμενον αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ σιωπῇ μέγα φρονεῖν.'

Homini sapienti nec aliorum gloriam captanti opponitur '(ὁ) οὐδ' ὕπαρ, ἀλλ' ὄναρ αὐτῆς (sc. ἀρετῆς) ἐν σκιαῖς καὶ εἰδώλοις ῥεμβόμενος, εἶθ' ὥσπερ ζωγράφημα προτιθεὶς ἐπὶ θέαν τὸ πεπραγμένον.' Similia legimus 'De virt. et vit.' c. 2, 101 A: 'ἀπολαύουσα τοῦ παρονομεῖν ὡς ἀνυστόν ἐστιν εἰδώλοις καὶ φάσμασιν εἰς οὐδεμίαν ἡδονὴν . . . τελευτῶσιν.' — P. 81 B redeunt verba 'ἱκανὸς ὢν μάρτυς ἅμα καὶ θεατὴς τῶν καλῶν' exponitque auctor eiusmodi hominem gloriam 'παρ' ἑαυτῷ', non apud alios quaerere. Quam sententiam Democriti enuntiato comprobat, qui docuerat bonum hominem 'ἐξ ἑαυτοῦ λαμβάνειν τὰς τέρψιας ἐθιζόμενον'. Contrariam Abderitae sententiam, secundum quam homo etiam mala plurima ex se ipso capit, Plut. profert 'Animine an corporis' c. 2.

Cap. 11 init. iterum inter se opponuntur corporis et animi morbi eadem fere ratione quae ex l. 'Animine an corporis' c. 3 nobis innotuit. In utroque enim libro Chaeronensis pari modo docet *multo leviores* minorisque momenti quam animi esse corporis morbos, *cum eorum* sensum aliquem habeamus, ut medicum statim vocemus;

contra animo aegrotantes 'ἐξελαύνουσιν ἢ φεύγουσι (τὸν ἰατρόν) μηδ' ὅτι νοσοῦσιν ὑπὸ τοῦ σφόδρα νοσεῖν αἰσθανόμενοι' = 'Animine an corp.' c. 3 'οἱ μὲν καλοῦσι τοὺς ἰατρούς, . . . οἱ δὲ φεύγουσι τοὺς φιλοσόφους, οἴονται γὰρ ἐπιτυγχάνειν, ἐν οἷς διαμαρτάνουσιν.' — Ceteroquin utroque loco inter morbos 'πυρετός' et 'φρενῖτις' commemorantur. — Paulo infra (p. 82 B) Plut. eum hominem perstringit qui exteram quidem corporis sui turpitudinem illudit, 'τὰ δ' ἐντὸς αἴσχη τῆς ψυχῆς . . καὶ μικρολογίας καὶ φιληδονίας καὶ κακοηθείας καὶ φθόνους ὥσπερ ἕλκη . . ἀποκρύπτων οὐδένα θιγεῖν οὐδὲ προσιδεῖν' patitur. — Nostro iure huc conferre possumus l. 'Animine an corporis' idem c. 2 quod iam saepius ad commentationem nobis propositam illustrandam nobis usui erat, ubi haec exstant: 'ἂν δὲ σαυτὸν ἔνδοθεν ἀνοίξῃς, . . πολυπαθὲς κακῶν ταμιεῖον εὑρήσεις.' Cf. etiam 'De tranquill. an.' 11, 471 B. Ipsa vitia iterum forma plurali enumerantur; e. g. coniuncta habes 'φθόνοι καὶ κακοήθειαι' etiam 'De tranquill. an.' 7 init. 'De virt. et vit.' 100 A legimus 'τὸ κακόηθες καὶ ἀκόλαστον' (= φιληδονία). — Conferuntur autem loco de quo agimus mala in animo nascentia cum vulneribus, eademque nobis se praebet similitudo 'An vitios.' 4 fin., ubi haec exstant: 'τὸν ὑπὸ τῆς τύχης συντριβήσεσθαι μέλλοντα . . . ἴδιον ἕλκος ἐν ἑαυτῷ καὶ κακὸν ἔχειν δεῖ ἐντὸς σαρκός.'

In capite 12 Plut., a dicto quodam Zenonis principium petens, demonstrat pravorum hominum animos ne in somno quidem quiete frui sed pessima quaeque in insomniis appetere, bonos contra homines 'τὰ φάσματα καὶ τὰ κινήματα μέχρι τῶν ὕπνων' opprimere et sedare.

Iam conferas, quaeso, libelli 'De virt. et vit.' c. 2, ubi eaedem ratiocinationes adumbrantur nec non idem Platonis de filio cum matre concubitum affectante enuntiatum (Resp. VIII, 571 C) affertur quo Plut. etiam loco de quo agimus utitur. At multo graviora argumenta subsidio nobis veniunt, quibus dilucide comprobatur ex uno utrumque locum commentario fluxisse. Dicit enim Plato l. l.: 'τὰς περὶ τὸν ὕπνον ἐγειρομένας, ὅταν τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὕδῃ . . τὸ δὲ θηριῶδές τε καὶ ἄγριον . . σκιρτᾷ τε καὶ ἀπωσάμενον τὸν ὕπνον ζητῇ ἰέναι καὶ ἀναπιμπλάναι τὰ αὑτοῦ ἤθη· οἶσθ' ὅτι πάντα ἐν τῷ τοιούτῳ τολμᾷ ποιεῖν, ὡς ἀπὸ πάσης λελυμένον τε καὶ ἀπηλλαγμένον αἰσχύνης καὶ φρονήσεως. μητρί τε γὰρ ἐπιχειρεῖν μίγνυσθαι, ὡς οἴεται, οὐδὲν ὀκνεῖ, ἄλλῳ τε ὁτῳοῦν ἀνθρώπων καὶ θεῶν καὶ θηρίων, μιαιφονεῖν τε ὁτιοῦν, βρώματός τε ἀπέχεσθαι μηδενός· καὶ ἑνὶ λόγῳ οὔτε ἀνοίας

οὐδὲν ἐλλείπει οὔτ' ἀναισχυντίας.' — Iam animadvertendum est haec verba Platonica in utroque libello Plutarcheo pari modo commutata et variata esse; cf. enim, quaeso, hos duos locos inter se:

De virt. et vit.	De prof. in virt.
'*μητρί τε γὰρ ἐπιχειρεῖ μίγνυσθαι', ὥς φησιν ὁ Πλάτων, καὶ βρώσεις ἀθέσμους προσφέρεται καὶ πράξεως οὐδεμιᾶς ἀπέχεται, ἀπολαύουσα τοῦ παρανομεῖν.'*	'*μητρί τε γὰρ ἐπιχειρεῖ μίγνυσθαι' καὶ πρὸς βρώσεις ὁρμᾷ παντοδαπάς, παρανομοῦν καὶ χρώμενον ἑαυτοῦ ταῖς ἐπιθυμίαις, οἷον λελυμέναις* (cf. Plato, l. l.: '*ὡς λελυμένον*'), *ἃς μεθ' ἡμέραν ὁ νόμος αἰσχύνῃ καὶ φόβῳ καθείργνυσιν.'*

Cf. etiam 'De prof. in virt.' p. 83 B med.

Utroque loco vox '*παρανομεῖν*' usurpatur, quae non invenitur apud Platonem. Accedit quod in utroque libro tria membra coniunguntur: '*μητρὶ μίγνυσθαι*', '*βρώσεις παντοδαπάς*' appetere, '*παρανομεῖν*'. Quae coniunctio apud Platonem deest, ex quo singula fere omnia petita esse facile intellegi potest. Sic apud Platonem et apud Plutarchum praeter ea quae iam commemoravi exstant voces '*βρώσεις*' (Plato: '*βρώματος*'), '*ἀπέχεται*', '*λελυμένον*'. At ipsa Plutarchi sententia qua docemur pravos homines per diem quidem timore et pudore prohiberi ne quid mali faciant a Platone non tam certis verbis atque 'De prof. in virt.' l. l. exprimitur; contra nobis occurrit etiam 'De virt. et vit.' l. l., ubi legimus: '*μεθ' ἡμέραν* (= 'De prof. in virt.' '*μεθ' ἡμέραν*') *μὲν γὰρ ἔξω βλέπουσα καὶ συσχηματιζομένη* (cf. 'De prof. in virt.' p. 83 C '*συσχηματίζειν τὰ φαντάσματα*') *πρὸς ἑτέρους ἡ κακία δυσωπεῖται καὶ παρακαλύπτει τὰ πάθη, . . . ἐν δὲ τοῖς ὕπνοις ἀποφυγοῦσα δόξας καὶ νόμους* ('De prof. in virt.': '*ὁ νόμος*') *καὶ πορρωτάτω γενομένη τοῦ δεδιέναι καὶ αἰδεῖσθαι* ('De prof. in virt.': '*αἰσχύνῃ καὶ φόβῳ*') *πᾶσαν ἐπιθυμίαν* ('De prof. in virt.': '*ἐπιθυμίαις*') *κινεῖ*' ('De prof. in virt.' p. 83 C: '*τὰ κινήματα*').

Eandem malam condicionem qua homo nefandus in insomniis vexetur Plutarchus 'De prof. in virt.' c. 12 fin. his delineat verbis: '*οἷς οὖν οὕτως εὐόνειρα . . φοβερὸν δὲ μηδὲν . . μηδὲ κακόηθες . . ἐκ τῶν ὕπνων ἐπαναφέρεται . . ταῦτα τῆς προκοπῆς ἀπαυγασμούς τινας . . λέγουσιν, οἴστρους δὲ καὶ πτοίας . . καὶ*

ὀλοφύρσεις ἐνυπνίων οἰκτρῶν .. ῥαχίαις τέ τισι καὶ σάλοις ἐοικέναι, ψυχῆς .. πλαττομένης ἔτι δόξαις καὶ νόμοις, ὧν ἀπωτάτω γιγνομένη κατὰ τοὺς ὕπνους αὖθις ἀναλύεται .. τοῖς πάθεσι.' Similis comparatio inter animi perturbationes et mare tumultuosum instituitur 'Animine an corporis' c. 3 fin. (cf. in universum supra p. 110). Nec non haec verba optime cum l. 'De virt. et vit. c. 2 conveniunt, ubi voces 'κακόηθες' et 'πτοῖαι' (100 F) redeunt. Praeterea cf. haec:

De prof. in virt.	De virt. et vit.
πλαττομένης ἔτι	ἀποφυγοῦσα
δόξαις καὶ νόμοις,	δόξας καὶ νόμους
ὧν ἀπωτάτω γιγνομένη etc.	καὶ πορρωτάτω γενομένη etc.

Iam persuasum te habere spero Plutarchum in utroque libello non ipsum inspexisse Platonem, sed ab alio auctore pendere qui Platonis verba in suum usum transformarat (cf. supra p. 104 adn. 1). Iam quaeritur, quis hic auctor fuerit. 'De prof. in virt.' c. 12 init. Plut. dicit: 'ὅρα δὴ καὶ τὸ τοῦ Ζήνωνος, ὁποῖόν ἐστιν. ἠξίου γὰρ ἀπὸ τῶν ὀνείρων ἕκαστον αὑτοῦ συναισθάνεσθαι προκόπτοντος, εἰ μήθ' ἡδόμενον αἰσχρῷ τινι ... ἑαυτὸν .. ἢ πράττοντα τῶν δεινῶν .. ὁρᾷ κατὰ ὕπνους, ἀλλ' οἷον ἐν βυθῷ γαλήνης ἀκλύστου καταφανεῖ διαλάμπει τῆς ψυχῆς τὸ φανταστικὸν καὶ παθητικὸν διακεχυμένον ὑπὸ τοῦ λόγου.' Haec verba non omnia Zenonis sunt, sed nonnulla Plut. aliunde inseruit. Sic placati animi cum sereno mari comparatio in memoriam, ni fallor, tibi iam revocavit 'De tranquill. an.' 17 fin. et 18, 477 A ('εὐδίαν παρέχει βίῳ καὶ γαλήνην') et 'De virt. et vit.' 3 fin. ('τὸ εὔθυμον .. ὥσπερ .. γαλήνην ἄκλυστον ὑποβάληται'). Contra ultima illius enuntiati verba aperte Platonis de anima doctrinam produnt (cf. Resp. VIII, 572 B 'αἱ ὄψεις φαντάζονται τῶν ἐνυπνίων') et tota Zenonis sententia egregie cum eis congruit quae Plato l. l. exponit. Exhibet enim Plato (571 D sq.) haec: 'ὅταν δέ γε, οἶμαι, ὑγιεινῶς τις ἔχῃ αὐτὸς αὑτοῦ καὶ σωφρόνως, καὶ εἰς τὸν ὕπνον ἴῃ τὸ λογιστικὸν μὲν ἐγείρας ἑαυτοῦ καὶ ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων, ... τὸ ἐπιθυμητικὸν δὲ μήτε ἐνδείᾳ δοὺς μήτε πλησμονῇ, ὅπως ἂν κοιμηθῇ καὶ μὴ παρέχῃ θόρυβον τῷ βελτίστῳ χαῖρον ἢ λυπούμενον, ἀλλ' ἐᾷ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μόνον καθαρὸν σκοπεῖν καὶ ὀρέγεσθαί του καὶ αἰσθάνεσθαι, ὃ μὴ οἶδεν ... ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ θυμοειδὲς πραΰνας ... κεκινημένῳ τῷ θυμῷ καθεύδῃ, ἀλλ' ἡσυχάσας

μὲν τὼ δύο εἴδη, τὸ τρίτον δὲ κινήσας, ἐν ᾧ τὸ φρονεῖν ἐγγίγνεται, οὕτως ἀναπαύηται' etc.

Quae cum ita sint, probabile mihi videtur omnes istas de malis et bonis somnis deliberationes Plutarchum ex Zenone Stoico deprompsisse, qui Platonis verba aliquo modo conformaverat suisque sententiis adaptaverat.

In capite 13 recurrunt vitia satis nobis nota: ἐπιθυμίαι, φόβοι, ὀργαί. Paulo infra iterum corporis morbi et animi vitiositas sibi opponuntur et 'τὸ μέσον' et 'μέτριον' commendatur, eadem similitudine ab lyra petita quae nobis innotuit 'De tranquill. an.' c. 15, 474 A.

In capite 14 extremo castigantur 'φιλονεικία καὶ φθόνος πρὸς τοὺς κρείττονας', quibus verbis respondet 'De tranquill. an.' c. 10 init. (cf. c. 9 fin. et 11 init.) et 'An vitiositas' 1 fin. (cf. supra p. 113).

Paulo infra (84 F) coniuncta invenimus 'φυγὴν Ἀριστείδου', 'εἱργμὸν Ἀναξαγόρου', 'πενίαν Σωκράτους', 'Φωκίωνος καταδίκην'. Similem in modum coniunguntur Socrates et Anaxagoras 'De exilio' c. 17 fin. Cf. supra p. 89.

Maioris momenti sunt verba quae exstant p. 85 A: 'τὸν γὰρ ἄχρι τοῦ καὶ τὰ φαινόμενα δεινὰ μὴ δυσχεραίνειν, ἀλλὰ θαυμάζειν καὶ ζηλοῦν ἐνθουσιασμὸν οὐκ ἂν ἔτι γε τῶν καλῶν οὐδεὶς ἀποτρέψειεν.' Nonne statim reminisceris commentationis 'De tranquillitate animi' capitis 18, ubi Plut. nos iubet praeceptorum quae edidit 'θαυμάζοντα καὶ ζηλοῦντα καὶ συνενθουσιῶντα πεῖραν λαμβάνειν (cf. c. 19, 477 B)? Num casu factum esse potest participia 'θαυμάζοντα, ζηλοῦντα, συνενθουσιῶντα' hoc loco eodem ordine se excipere atque 'De prof. in virt.' l. l. voces 'θαυμάζειν, ζηλοῦν, ἐνθουσιασμόν'?

In eis quae sequuntur Chaeronensis suadet, ut, priusquam quodlibet negotium suscipiamus, quaeramus, quam viam clari homines hac in re inierint ('τίθεσθαι πρὸ ὀφθαλμῶν τοὺς ὄντας ἀγαθοὺς . . . οἷον πρὸς ἔσοπτρα κοσμοῦντας ἑαυτούς').[1] Similia proferuntur commenta 'De tranquill. an.' c. 6[2].

Denique pauca de capite 17 adnotem. Ubi p. 85 D accipimus multos homines 'ἐν τοῖς πρὸς ἀρετὴν πράγμασιν' se recipere ad tales exclamationes quales sint 'τί γὰρ τὸ παρὰ τοῦτο;' vel 'νῦν

1) Idem Plut. in vitis componendis sibi proposuit. Cf. vitarum *Timoleonis et Aemilii Pauli* praefationis p. 235 A: 'ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον κοσμεῖν . . . τὸν βίον.'

μὲν οὕτως, αὖϑις δὲ βέλτιον'. — Simillima ratione 'De tranquill. an. c. 16, 475 E Plut. exclamationes illas perstringit quibus plerique homines fortunae iniurias accipiant: *'οὐκ ἂν ᾤμην'* seu *'τὸ ἄλλ' ἤλπιζον'* seu *'ταῦτ' οὐ προσεδόκων'*.

Paulo infra *ἡ κακία* — ut 'De virt. et vit.' c. 2, 'An vitios.' c. 3 et saepius (cf. p. 115) — personata inducitur his verbis: *'ἡ κακία ποτὲ τῶν ἁμαρτημάτων ἐνδῦσα συγγνώμην πορίζηται'*. — Sub capitis fine auctor demonstrat stultos homines sine ulla ratione omnia arripere, contra sapientem omnia facere *'ἀπὸ στάϑμης τοῦ λόγου'*, quam ad totam sententiam conferre iuvat voluminis 'De tranquill. an.' capita 12 et 13.

Quod ad totius libri quem tractamus compositionem attinet, commemorare liceat singula *'προκοπῆς'* specimina quae Plut. profert eodem fere modo conecti atque in libro 'De tranquill. an.' inscripto singula *'εὐϑυμίας'* adminicula. Cf. e. g. c. 5 init., c. 6 init. *'οὐ φαῦλον ἄν τι προκοπῆς εἴη σημεῖον'*, c. 7 init. *'μέγα καὶ τοῦτο δήλωμα .. τοῦ προκόπτειν'*, c. 9 p. 80 BC, c. 10 p. 80 F, c. 11, 82 B *'οὐ φαῦλον ἂν εἴη προκοπῆς σημεῖον'*, c. 12, 82 D, c. 14 init. *'μάλιστα τῆς προκοπῆς ἴδιόν ἐστιν'*, c. 15, 84 F, c. 17 init.

CAPVT IX.

De commentatione *'Περὶ τῆς ἠϑικῆς ἀρετῆς'* inscripta.

Praeter hunc libellum quem iam enarravimus Chaeronensis doctrinam suam moralem in commentatione 'De virtute morali' inscripta illustravit. Quo in volumine commiscet Aristotelis Platonisque doctrinam, contra veterem Porticum vehementer aggreditur; prae ceteris autem evincere studet Aristotelem et Platonem haud multum inter se dissentire, vaferrimum contra omnium philosophorum Chrysippum fuisse.[1]) Nec vero nostra interest subtilissimas ratiocinationes quibus haec dissertatio scatet accuratius repetere.

Postquam auctor in primo capite exposuit, quam materiam (*'περὶ τῆς ἠϑικῆς λεγομένης ἀρετῆς'*) in hoc scripto pertractare velit, in capite 2 nonnullorum philosophorum de virtute praecepta enarrantur: Menedemi, Aristonis Chii, Chrysippi, quorum omnium sententiae respuuntur. Et Aristonis quidem definitione virtutis

1) Idem comprobare sibi proposuit — multo pluribus argumentis allatis — in libris 'De communibus notitiis', 'De Stoicorum repugnantiis', *'Stoicos absurdiora poetis* dicere' inscriptis.

quam Plut. repetit nixi Giesecke, Hense, Heinze permulta ex aliis libellis Plutarcheis Aristoni tribuerunt, quamquam praeter hunc locum Plut. nusquam nisi 'De fortuna' c. 2[1]) certis verbis ad ista Aristonis inventa alludit.

Non nego sane inesse nonnulla in Aristonis illa definitione quae etiam e Plutarcho nobis nota sunt: e. g. voces *φρόνησις*, *τὸ μέτριον καὶ εὔκαιρον*, *ὑγίεια* huc conferre possumus; at quo iure ex his conicere licet Plutarchum dimidia parte pendere ab Aristone — dimidia altera parte nimirum a Bione —, cum nulla alia nobis praesto sint ullius momenti adminicula? Accedit quod Zenonis de virtute doctrinam vel in singulis Aristoneae simillimam fuisse ex eis quae sequuntur apparet! Finem facit Chrysippus, quem Plut. vehementer impugnat, quia '*πολλῶν καὶ ἀτόπων ὀνομάτων οὐδὲν δεομένην ἐμπέπληκε φιλοσοφίαν*', cum cuique qualitati peculiarem virtutem peculiari nomine inditam tribuerit et hac ratione ingens '*σμῆνος ἀρετῶν*' (Plato, Meno 72 A) congesserit.[2])

Ergo eorum tantum philosophorum placita Chaeronensis enarrat quibuscum digladiatur, contra eos quos vere sequitur l. l. ne verbo quidem laudat.

Omnes istos philosophos, maxime Stoicos, c. 3 init. reicit, quod '*πάθη*' et '*λόγους*' inter se differre negarent. Quibus opponit p. 441 F sq. Platonis sententiam, quam unice veram esse sibi persuasit, exponitque in eiusdem capitis fine ne Stagiritam quidem longe a Platone distare. — Eiusdem Aristotelis definitionem, secundum quam '*ἔθος*' idem est atque '*ἦθος*', Plut. probat c. 4, 443 C docetque, Peripateticos secutus nos non tam decere libidines prorsus tollere quam moderari, cum dicat: '*λόγου . . οὐ βουλομένου . . τὸ πάθος ἐξαιρεῖν παντάπασιν, . . ἀλλ' ὅρον τινὰ . . ἐπιτιθέντος αὐτῷ καὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετάς, οὐκ ἀπαθείας οὔσας ἀλλὰ συμμετρίας καὶ μεσότητας ἐμποιοῦντος*', quam sententiam per totam hanc commentationem profitetur. Cf. c. 4, 444 B: '*τὴν δ' ὁρμὴν τῷ πάθει ποιεῖ τὸ ἦθος, . . . ὅπως μετρία παρῇ καὶ μηθ' ὑπερβάλλῃ . . . τὸν καιρόν*', quoniam '*τοῦ πρακτικοῦ λόγου κατὰ φύσιν ἔργον ἐστὶν τὸ ἐξαιρεῖν τὰς ἀμετρίας τῶν παθῶν*'. Cf. paulo infra: '*ὅπου δὲ πάλιν (ἡ ὁρμὴ) ἐκφέρεται ῥυεῖσα . . καὶ ἄτακτος, ἐκεῖ τὸ σφοδρὸν ἀφαιρεῖ καὶ ἵστησιν.*' Definit autem auctor '*τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς*' ut

1) Cf. Giesecke p. 104 sq.

2) Eodem modo Chrysippum sescenta varia vitia sibi excogitasse Cicero, Tuscul. IV, 10, 23 docet. Ceterum cf. de omnibus his virtutis definitionibus Stoicis Zeller III 1, p. 238 sq.

'ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς μεσότητας οὖσας' (cf. etiam ultima capitis verba).

Quae μεσότης, qua virtus efficiatur, in capite 6 accuratius describitur et argumentis satis subtilibus partim ex Aristotele petitis illustratur. E. g. comprobatur harmonia sonorum, in qua media vox infimae nimium acumen et summae nimiam gravitatem apte coniungens iucunde sonat (cf. 'De prof. in virt.' 3 et 'De tranquill. an.' 15). Sequuntur verba: '(ἀρετὴ) τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον ἐξαιρεῖ τῆς ὁρμῆς, εἰς τὸ μέτριον .. καθιστᾶσα τῶν παθῶν ἕκαστον'. Idem Plut. iudicium fert c. 9, 449 B 'γίγνεται γὰρ εὐπάθεια τοῦ λογισμοῦ τὸ πάθος οὐκ ἀναιροῦντος ἀλλὰ κοσμοῦντος ... ἐν τοῖς σωφρονοῦσιν.' Cupiditates et libidines ('τὸ ἄλογον') prorsus necessarias et coercendas, nec vero tollendas esse Chaeronensis certissimis verbis in capite 12 demonstrat, ubi cf. p. 451 C 'σύμφυτον ἔχει τὴν τοῦ πάθους ἀρχὴν .. ἀναγκαίαν οὖσαν οὐδ' ἀναιρετέον παντάπασιν ἀλλὰ θεραπείας .. δεομένην ..· τοῦ λόγου τὸ ἔργον ἐστὶ .. τὸ ἄγριον κολοῦσαι καὶ ἀφελεῖν τὴν ἀμετρίαν, εἶτα .. περιίστασθαι τὸ χρήσιμον. ... οὔτε πάθος οἱ δεδιότες τὸ ταρακτικὸν ἀναιροῦσιν, ἀλλὰ κεραννύουσι.' Cf. 451 F: 'οἷον γὰρ ἐν φθόγγοις μουσικὴ τὸ ἐμμελὲς οὐκ ἀναιρέσει βαρύτητος καὶ ὀξύτητος (eadem similitudo in capite 6 exstat; cf. quae supra de ea disserui), ἐν δὲ σώμασιν ἰατρικὴ τὸ ὑγιεινὸν οὐ φθορᾷ θερμότητος καὶ ψυχρότητος, ἀλλὰ συμμετρίαις καὶ ποσότησι κραθεισῶν ἀπεργάζεται (cf. de hac sucorum commixtione supra p. 94), τοιοῦτον ἐν ψυχῇ τὸ νικῶν, ἐγγενομένης ὑπὸ λόγου ταῖς παθητικαῖς δυνάμεσι καὶ κινήσεσιν ἐπιεικείας καὶ μετριότητος' et 452 B: 'τῶν δὲ παθῶν παντάπασιν ἀναιρεθέντων, εἰ καὶ δυνατόν ἐστιν, ἐν πολλοῖς ἀργότερος ὁ λόγος καὶ ἀμβλύτερος, ὥσπερ κυβερνήτης (cf. supra p. 66 et 110 de hac similitudine satis memorabili), πνεύματος ἐπιλιπόντος.' Cf. etiam p. 452 C med. Tota haec ratio corpus et animum inter se conferendi iam satis superque nobis nota est. E. g. pari modo 'ὁ λογισμός' cum medico, qui corpus sanum reddit, comparatur 'De tranquill. an.' 3 fin. et 4 init., nec non quam maxime cum locis quos supra exscripsimus conspirat 'De virt. et vit.' c. 4 (cf. supra p. 94 sq.).

Eandem secutus doctrinam Plut. etiam 'De prof. in vit.' c. 13, 84 A exponit libidines ratione non tam exstingui quam ad mediocritatem reduci et coerceri deberi, eadem similitudine a lyra petita. Dicit enim hoc loco: 'ἡ κακία τῶν προκοπτόντων ἔοικεν εἰς ἐπιεικέστερα πάθη μεθισταμένη κατὰ μικρὸν ἐξαλείφεσθαι· ... ἡμῶν